21

6.20.A.8

IANI THESEI CA-
SOPERI PSYCHRO
NÆI SYLVARVM
LIBRI DVO.
EIVSDEM ELEGIA
RVM ET EPI-
GRAMMA-
TON LI-
BRI
QVATTVOR.

· M D XXXV

14

Ianus Tharapus Minorita Theologus Pſychronæus Iano Theſeo Caſopero Pſychronæo Iuueni nobili ac docto. S. P. D.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EM.

QVM Libellos tuos à te ſumma induſtria miro quodam artificio compoſitos legerem, admodũ tuo ſtatim ingenio ſum delectatus. Ita vt præſtantiſſimis illis maioribus non modo te conferendum, verũ anteponendum exiſtimem. nam qum multos multorum legiſſem libellos mi ornatiſſime Theſeu nouitate rerum atq; inuentione alios, alios dicendi ſtilo, tuos vero ex parte omni laudandos duxi. præſertim qum tantæ varietati congruum modũ, concinnamq́; ſtructuram retinere videntur. Quapropter te frequenter hortatus ſum, vt publicares. In q̃bus omnibus & doctrina & tui ingenij claritas eluceſcit. Da igitur operam meis cęterorumq; amicorum victus precibus vt in publicum exeant. Nec communem noſtram patriam pientiſſimoſq; parentes, fratres, cognationemq; tuam oẽm vnico hoc rariſſimoq; honore defraudes, nec eſt q̃ inuidos obtrectatoresq́; expaueas, tanq̃ ſuperuacuũ minimeq; præclarum ſit alia noua velle cudere, qum tot libros oratorum poetarumq́; maximi ędiderint, vt nihil præterijſſe videantur, qui tot volumina ſcripſerunt, quot fere nemo potuit videre, aut ſaltem accurate perlegere. quibus Terentianum illud, Nil dictum quod non ſit dictum prius, & illud Salomonis huic perſimile nil ſub Sole nouũ obijciendum fore cenſui. Si ſic ſit vt nihil nouum fiat ſub ſole, tanta antiquis illis ſcriptoribus non erit auctoritas aſcribenda, qum ex alijs auctoritas illorũ dependeat, neq; poſſibile erit aliquibus diuinũ tribuere ingeniũ vt de Platone

legimus ſed erit ire in infinitum, peribũt igitur ſi ſic erit artes omnes, peribunt ſtudia omnia, erũtq; literæ inextricabilis ludus, & circulatio anceps. Quem latet q aliam ex eadem maſſa Phidias, aliam Praxiteles, aliam Policletus cudebat imaginem. Quem latet q̃ elimata ſit poeſis, q̃ eſt illuſtrata philoſophia omnis, quanta lux hiſtoriæ eſt addita, & quot in diuerſis gentibus latæ leges, Inuentæ artes & vitæ cultus acceſſit, quanta deniq; ſit notitia diuinorum. ex quibus manifeſte liquet nihil eſſe tam cultum quod non poſſit expoliri, nihil tam cumulatũ quod incrementũ non recipiat. Et ſi multa de diuinis audent dicere mortales, quæ non modo hominum eloquijs, verum angelorum linguis inexplicabilia ſunt, quanto magis quæ humanis ſunt vſibus applicanda mortalis edet homo. Age ergo, age clariſſime Theſeu, & quæ tui ingenij acumine noua edidiſti, parentum amicorũq; hortatu rogatuq; in lucem dare non differas. Super erit nanq; vt nec illos conſilij, nec te pœniteat obſequij. Et ſi certe ſcribendum exiſtimaſti, ne vitam mortuis ſimilem duceres, quæ profecto magnanimi viri ac nobilis eſt ſentẽtia, Ita in lucem edere nihil inuidos eſſe timendum dico ne ſicuti lupus ruſticum (vt inquiunt) ſic te mutum illi reddidiſſe videantur. Vale patriæ columen & me, vt facis, ama. Patauij.

Francisci Maronis Cyprij Maronitarum episcopi carmen ad Ianum Theſeū Caſoperum Pſychronęum.

CORduba Lucani debet, debetq; Maronis
Inclyta diuinis Mantua carminibus.
Sed tibi fęcundis Calabrum non infima terris.
Pſychro vbi clara viris gręcia magna ſedet.
Et doctis debet (ſeu luſus ſcribere tentas
Seu forſan mauis ſeria) carminibus.
Et (quod pulchrum eſt & noſtro rariſſimum in æuo)
Legibus o Theſeu candide Cæſareis.
Sed quantum his valeas, non eſt hic dicere noſtrum,
Quàm primum noſcet curia parthenopes.
Hic hic te ob lepidas laudo admirorq; camęnas,
Hic ingens cantus gratia viſq; tenet.

Hippolytus Fantotius delphic. Minorita Peruſinus Lectori.

QVid non Caſoperi mirere poemata Theſei?
Nonne putas clarij ſingula dicta Dei?
Si ſecus id credas, te fallis, tempore noſtro
Par Phœbo, aut dici verius ipſe poteſt.
Huic plaudit vates Andinus carmine, plaudit
Et mage Romanis legibus offilius.
His ſpecta ingenium diuini Theſeos, hic eſt
Qui volat aſſidue docta per ora virum.

Ioãnis Marij Tirabuſci Patauini
Endecaſyllabon.

PVbes palladiæ decus Mineruæ
Quæ doctam tibi comparare linguam
Optas carmine, ſiue diſſoluto
Dicendi numero legas libellum
Hunc oro, nitidum nimiſq; cultum
Quo non doctior, elegantiorq;
(Abſit ambitio) fatemur, alter.
Oris ſeu placeat ſtilus latini,
Aut ſenſus relegas grauis Camœnæ.
Seu quas (vt Cicero) ad ſuos amicos
Scribit. dum ſubitis eos ſalutat
Hunc nec barbarus ore Zoileo
Pinſet. deprimet, atq; lancinabit,
Doctum Theſea nam timere diſcet.
Clarus qui eloquio, magiſq; ſummi
Iuris viribus, vndecunq; monſtra
Inuictus valeat dediſſe letho.

Gulielmus Medices Patritius Florentinus
de Iano Theſeo Caſopero Calabro.

E Labyrintheis vt flexibus Atticus olim
Euadens Theſeus, Calaber ſic carmine Theſeus
Inſignis, patriæ decus ingens auxit vterq;.

Illuſtriſſimo Principi Galeoto Carrafæ Sanctæ Seuerinæ comiti, domino vnico, ac patrono Ianus Theſeus Caſoperus Pſychronæus. S. P. D.

AGenti mihi in humanioribus literis Illuſtriſſime Princeps Galeote, verſiculorum non nihil tenues Muſæ meę ſuggeſſerunt, quorũ magna pars in te tuosq; noſtrum merito ſtudium habet, & obſeruantiam. Sed dum per ætatẽ licuit, magnisq; dijs mortalium rerum arbitris, viſum eſt, faciliora iſta tractauimus. mox animum ad altiora extulimus. Quænam altiora ſunt iſta quæ prædicas? Interpellabis. Ciuilia iura ſunt Illuſtriſſime Princeps, in quibus quantum eloquentiæ, quantum ſapientiæ, quantum deniq; virtutis inuenerim, tuo iudicio relinquendum cenſeo. Laudent poeſios ſtudium delicati iſti Muſarum cultores, nec nos quod olim oratiõe extulimus, leuitati etenim aſcriberetur, vituperamus. Sed quod apud M. Tullium ſcriptum reperio, iuuat his temporibus identidem pleno ore citare. Fremant omnes licet, bibliothecas me hercule omnium philoſophorum vnus mihi videtur duodecim tabularum libellus & auctoritatis pondere, & hubertate vtilitatis ſuperare. Deus bone, iuris ſcientia quid honeſtius, quid laudabilius, quid glorioſius aut dici, aut fingi poteſt? Hac oppreſſis ſuccurrimus, hac lapſos erigimus, & ſubleuamus, hac in famæ vitæq; diſcrimine conſtitutis ſuppetias ferimus, hac amicos cõſanguineosq; defendimus, & neſcio an patriam ipſam, quæ vna charitates omnium complexa eſt, ſine hac tueri poterimus? Diſpeream ſi humano generi commodius, ſalubrius, & neceſſarium magis

Deorum datum eſt munere. hac reſpublicas moderantur, quarum rectores e cœlo profecti (vt Aphricanus Scipio ab auo æthernitate donato audiuiſſe narrauit) in cœlum reuertuntur. Tolle hanc ſanctiſſimam diuinãq; ſcientiam, non tantum ciuitas, ſed ne paruus quidem hominum cętus conſtabit. Enimuero vt felicius quod optaueram, conſequi poſſem, patria mihi neceſſario excedendum eſſe putaui, rectáq; patauium cõcedendum. Patauium enim omnibus ſcientiæ (vt aiunt) numeris abſolutos e tota terra Italia atq; etiam Gallia ventitare, à natu maioribus profeſſores ſemper acceperam. Nec nego in noſtra Neapoli iuxta doctiſſimos inueniri, qui iura interpretentur. Quin immo illud conſtantiſſime aſſero, in nobiſipſis meliorem profectus partem conſiſtere. Sed neſcio quo modo quo longius a patria domo, parentibusq; diſtemus eo expeditius, nauiusq; literis incumbamus, ac philoſophemur. Qum igitur Pataujj agerem, diu animo volutaui, quod nam ad te mi Princeps Illuſtriſſime atq; optime ex Venetiarum emporio fortunatiſſimo munus mitterem, non ſecundum amplitudinem tuam, nam id omnino deſperabam, qum noſtra paruitas eo nõ poſſit aſcendere. venit in mentem verſiculos qui antea adoleſcenti exciderant, impreſſioni tradere, ad quod amicorum etiam cottidianæ preces adhortabantur, tibiq; muneri mittere. Sed qum per hyemem, ac ver auditiones lectionũ bis die totum occuparent, imperioſiſſimaq; aduerſaria penſum exigeret, in ocia æſtiua feriasq; ſcholaſticas longiores differendum negociũ omne decreui. Itaq; quod conſtitueram his ipſis diebus nuper ſum executus, noſtraſq; nugas edidimus, honoriq; tuo Illuſtriſſime Princeps humillime dedicamus, muneriq; mittimus. Nec

dare profecto aliud potui, nec debui: non potui, quia te= nuitas noſtra non patiebatur, nõ debui, quia qum ipſe ſtu= dia ardentiſſime ſemper amaueris, ſemper euexeris, & li= teratos domi habueris, alueris, defenderis, nõ alio (vt opi= nor) debuiſti q̃ literario munere munerari. Suſcipe ergo hilari fronte Illuſtriſſime Princeps Clientuli tui obſer= uantiæ ac fidei monimentum, Suſcipe obnoxij ac deditiſ= ſimi animi pignus, illudq́; propenſiore voluntate pen= ſato, ſi tuis fortaſſe meritis non reſpondet. Non deerunt, quantum opinione aſſequi poſſum, qui æmulationis inui= diæq́ ſtimulis exagitati, noſtra calumniabuntur, de ſemi= doctis ac literatulis loquor, nã expertes ſunt (vt inquiũt) Inuidentiæ Muſarum fores. Non deerunt, qui ſuopte in= genio ac ſtudio ad maledicendum promptiſſimi non di= cam miniatula cęra, ſed atro carbone notabũt. Tuum erit Illuſtriſſime Princeps pro tua facilitate defendere, ac pe= tulantiam improborum cohercere. porro nec mihi tantũ aſcribo, atq́; arrogo, vt negem labi, atq́; in mendum inci= dere adoleſcentem præſertim ac penè puerum non po= tuiſſe. qum nemo tam ſit oculatus, qui aliquando nõ offen= dat: qum & priſci illi clariſſimi vates in plæriſq́; defeciſſe deprehendantur, quãuis poſteritas conſuluerit boni. qum & ægre Vergilius Maro ac Cicero a vulneribus quæ mul= lia paſſus vterq́ eſt, tutus eſſe potuerit. Sed abſentis famã lędere vt impiũ & penè piaculum, ita minus honeſtũ eſt, ac ciuile. vtcunq́;, vel totius exiſtimationis diſpendio fuit meo mihi officio faciendum ſatis, maloq́; ſcriptor ineptus, inſulſus, atq; etiam infans q̃ officij deſtitutor videri. po= tiusq́; eruditio q̃ morũ in me probitas deſideretur. etenim tunc iure optimo culpari poteram, ac debebam, ſi te prin=

cipem meum optimum nugis ſaltem ineptijsq́, quæ volu- ptatem nimirum aliquando ſolent conciliare, diu abſens non ſalutarem. proindeq́ & inofficioſum omnino ſubdi- tum agerem, & ingratum. Vale, & viue felix cũ Illuſtri progenie, rariſſimaq́; Vxore. Venetijs.

IANI THESEI CASOPERI PSYCHRONÆI LIBER PRIMVS.

Ad Petrum Mendocium Calabriæ præſidem.

O DECVS *Heſperiæ nitido quã gurgite Bethis*
Diuidit, occidui labens in cærula ponti,
Longe atauis princeps Mendoci illuſtrior equis,
Quem Deus humanus diadematis altus honore.
Præficit nobis de tot modo Cæſar iberis.
Conſilioq́; fideq́ tua confiſus, & acri
Ingenio, calabras moderari iuſſit habenas.
Mæror ob immeritum iucundi funus amici
Cogit, triſte chelys plectro percuſſa tonaret
Carmen, quod genibus ſupplex aduoluitur, vtq́;
Admittas humili dignatus voce precatur.
Quàm iuuenem mactare pium, qui dulcia vitæ
Commoda vix ſummo tenus heu guſtauerat ore
Sæuius eſſe quid eualuit? quem cęde cruenta
Affectum gelidas tumidi prope fluminis vndas
Deſeruit probroſa manus, velare pudenda
Proh ſcelus, optantem modicum quo poſſet amictum,
Expertemq́; ſui, tu formam pende nefandi
Criminis, atq́; animo bonus interiore voluta,
Quanta mali facies, lacerum ſpoliare cadauer
Eximij iuuenis, qui toto ſanguine, totis
Viribus excęlſæ fuerat virtutis amator,
Nemo eſt (crede mihi) modo ſit non Tigride natus

Hyrcana, & lybicę nutritus lacte leęnæ,
Quem nex diſcerpti non tangat Adoleſcentis.
Hæc Scynis, hæc Phalaris culparet & auſa Tyrannus,
Aere perilleo quãuis cruciare reorum.
Corpora conſuerit, necnon quicũq; notantur.
Sæuitia, quos poſteritas ſeriesq; nepotum
Improbat, inuiſo differt & crimine fama.
Tam fœdum tam immane nefas tolerare pudebit
O ſcelerum domitor, curam quo ſoſpite numen
Aethereum Calabræ ſemper regionis habebit.
Nunc iras oſtende tuas, delicta nocentes
Præſide te diſcant puniri, animisq; ſuperbis
Claude viam laqueo, ſcelerato in corpore pœnas
Dent, legum inuiolanda monent mandata ſacrarum.
Hoc ſolamen erit miſerorum vtcũq; parentum.
Qui crebris quatiunt ſingultibus ilia, quiq;
Planctibus inſanis offendunt pectora; nouit.
Qui genuit, chárumq; fuit ſibi pignus ademptum,
Tabeſcant quanto gemini mœrore parentes,
Qui flent præteriti fatum miſerabile Nati.
Horum dira tuum moueat ſors pectus, & horum
Si cupis eſſe pius canæ miſerere ſenectę.
Te fratrum flectant gemitus, gemitusq; pudicæ
Fœmineo aſſidue lachrymantis more ſororis.
Quæ laniata comam pollutam puluere ret o,
Et pullam manibus veſtem diſciſſa, I.iuentam
Germani ante diem queritur fluxiſſe, laborum
Hæc tantum ſupereſt requies, hæc ægra voluptas,
Abſciſſo ſcapulis capiti inſultare maligno.
Haud alia tantum poteris ratione placere

Excelſo Dux magne Ioui, qui crimen inultum
Non patitur, ſera facinus ſed vindicat ira.
Quàm ſi multaris pœna non morte minore
Sontes, qui humam temerantes corporis atra
Cęde manus, ſocij ruperunt fœdera iuris
Poſcit idem magno fieri clamore ſenatus
Cœlicolum, Natura parens & crine ſoluto
Curuatoque genu, ſolium ſtans ante potentis
Virgigenę fari lachrymis ita cępit obortis.
O diuumq; hominumq; ſator, regnator olympi,
Ingentem mundi moderaris qui ordine miro
Molem, formidant quem tartara cęca ſubacto
Dęmone, qui cœli ceſſiſti ſedibus, almum
Intraſti atq; vterum pietate hortante beatę
Virginis, emerito qui poſtque ventre fuiſti
Editus, optatus terris, non turpe putaſti
Deformes habitare domos, humileſq; receſſus.
Quiq; Deus nullo fueras violabilis ictu,
Et terræ & Cœli dominus, vaſtiq; profundi,
Mortalem tolerare vicem, vitæq; procellas
Pauperis, erumnis varijsq; laboribus actus.
Tanque vnum de plebe hominum lugere, patique
Non piguit, qui dura ſitis tormenta tuliſti,
Atq; famem, quid plura loquar? damnatus inique es
Innocua infami figantur brachia ligno.
Hic vbi cęca latus penetrauit lancea, victor
Ingens deinde chaos, vacuique ſilentia Mundi
Obductaſq; ſitu tenebras Plutonis opaco
Appetis, in cælum portaſque trophæa, fruuntur
Luce diu expectata animæ, cœloq; micanti.

Scilicet hæc hominum flagranti incenſus amore
Perpeteris, concede æquis ſua pondera verbis.
Qui ingluuie humanos auida ſitiere cruores,
Turpiter indigna cæſorum morte tumentes,
Protinus infenſi cognoſcant numinis iram,
Fulmine ad inferni trudantur carceris vmbras,
Luctificasq́; domos, ad ſquallida regna ſeueri
Dæmonis occurrat largo metuendus hiatu
Cerberus, & rictu tentet ſorbere trifauci.
Siſyphium verſent lapidem, ſubeantq́; ſororum
Dolia, quæ generum macularunt ſtrage iugalem.
Expleat aſſiduo vultur præcordia roſtro.
Carpens non vllo ieiunia tempore ventris.
Nulla mali finis, mulię nullumq́; leuamen,
Aegra at ſollicitæ pariant ſuſpiria curæ,
Et gemitus, mœrorq́; grauis, ſæuisq; flagellis
Supplicia immites renouent ingentia manes,
Hauriat hos orcus, qui ſontes deuorat omnis
Ore inhiante, crucis nullam quam ſponte ſubiſti
Experiantur opem, non proſint ſanguinis vndę,
Corpore & in ſancto tot vulnera, totq́; dolores.
Qui extinguunt homines, temerant iuſtumq́; pium ꝗ,
Iuris & antiqui communia fœdera turbant.
Vix Natura hominum mortem miſerata cruentam,
Finierat querulas mœrore vrgente, loquelas.
Cum Deus altitonans horret quo excelſa loquente
Regia, & æolij deponunt murmura venti,
Vndiuomi & rabies ceſſat ſalis, omnia nata
Ancipiti trepidantq; metu, ſolio occupat alto.
Eripitur cum vita homini, tellusq́;, polus.ꝑ

Triſti turbantur facie, dolor aſperat acer.
Me impietate truci offenſum, nam crimina nulla
Pacatum æque animum (fateor) mentem'q; quietam
O natura mouent, ſed tunc grauiore tumeſcit
Bile iecur, ſolito tunc ſum flagrantior, heu heu
Non temere quando, tacita ſed fraude necatur,
Sed tum præcipue, qum non eſt cauſſa necandi
Vera ſatis, quid vera ſatis? qum nulla probetur
Qua fieret mors iuſta hominis. quem rite creatum
Non eſt pertęſum ſimili decorare figura.
A grege brutorum pulchra ratione carentum
Seposui, vt noſtrum valeat cognoſcere numen,
Rectaq; ſcandendi ſedes quæ ſemita diuum,
Cœleſtemq; chorum, quot iuſtis lęta parantur
Prę mia, quot prauis vltoreq; Dęmone pœnę.
Illi igitur fœda auſa luent, ſine fine perennem
Incluſi in cæco patientur carcere mortem,
Nec mors iſta tamen damnato in corpore ſenſum
Auferet, at miſeri quæ extinguit cuncta nequibunt
Mortis ope optatę longos finire dolores.
Sic certum, ſtabili hæc maneat ſententia menti,
Ni digni purgent pœnis contagia terris.
Hæc mundi dominus. ſed te iuſtiſſime præſes
Hanc doleat cędem ſuperum Rex quatenus ipſe,
Et natura parens cunctarum prouida rerum,
Non fugit, & quantum maieſtas Cęſaris horret
Tale ſcelus, mulctetq; reos, qui criminis huius
Iudicium nullo potuerunt vincere nſu,
Res etiam pueris nimirum cognita, nulli
Ambigua eſt, Romana volunt quid iura, iubentq;

Quando aliquis fuerit violenta morte peremptus.
Conſule cęſareo conſultos iure, tribunal
Qui ſemper celebrantq́; tuum, ſemperq́; frequentant.
Hæc tibi (ni fallor) quoniam reſponſa dabuntur,
Vt damnata graui feriantur colla ſecuri.

Marco Antonio magno S. P. D.

SAepius cogitaui quid a me potiſſimū ad te muneris Magne perueniret, quod erga te meū teſtari poſſet amorē. Qumq; in noſtræ ſupellectilis anguſtia, peculijq́; viriculis argentum nō inueniretur, chartaceo munuſculo te donare conſtitui. Domeſticum etiam arctiſſimæ familiaritatis exemplum non ſinit me vlterius omuteſcere. grauiſſimum etenim duco, ſi quē Caſoperi omnes ſpoletiniq; beneuolentia complectuntur, ipſe non adamarem. proinde verſiculos animi ſerenitate percurrito, ſi tibi eblandientur, noſtri erunt ingenioli incitamenta. Vale, & ama. Pſychro duodecimo Calendas Nouēbris. Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo Sexto.

FErt animus narrare tuas doctiſſime laudes,
Raras ingenij dotes, ſed viribus impar
Materia eſt, magni cantanda poemate Homeri,
Atq; bianorei dulci modulamine vatis.
Sed quia ſummus Amor quo te complector, adegit,
Ordiar, inceptis Erato faueat modo noſtris,
Innupta lauro atq; ornatus tempora Apollo.
Et quis erit vates qui te ni ſtultus & amens
Pierijs celebrare modis ſine numine tentet
Cęleſti, aut ſacras ſi non prius hauſerit vndas?

O q̃ grandiloqua iactatur ad aſtra Camena
Magne tuum natale ſolum? cui tanta poteſtas
Sidereo conceſſa polo, genuiſſe benigna
Maieſtate virum, mitiſq; probitatis alumnum,
Gloria ſublimi quem geſtit ferre triumpho.
Ortum opulenta dedit patria, & de ſanguine clarum
Egregio, leta eſt ſoboles quo antiqua parentum,
At tu Magne genus cupiens ſuperare tuorum,
Non patris promptum tenui ſquallere Minerua
Ingenium, humanis etenim vigilanter, & omni
Inſudas niſu ſtudijs, monumenta ſophorum
Et vatum relegens nocturnus & vſq; diurnus.
Laudes inde premis patrum, proauitaq; virtus
Victa pio gaudet longe ceſſiſſe nepoti.
Qui quantum ſermone vales, atq; arte loquendi,
Sat bene Romuleus (res eſt manifeſta) Senatus,
Cæſareumq; forum, proceres ſtupuere diſertæ
Iampridem Veneti torrentia flumina linguæ,
Attonitumq; melos, doctam Pandionis vrbem
Iurarem parili nunq̃ Demoſthena voce
Audiſſe, infauſti quem triſte leuamen ademit
Sorbitio ſumpti e calamo vi vrgente veneni.
Præterea Aonidum ſollers phœbiq; ſacerdos
Plectra moues grauiore ſono, componere carmen
Aſſuetus, quo facta virum recitantur, & illud,
Quo vitæ numeris functi plorantur ademptæ.
Quo faciles veneres, & quo luduntur amores.
En vaga fama altæ virtutis perculit aures
Carrafi Herois, cui nam concredere poſſet
Tutius arcano depromptos pectore motus?

Euocat, accedis, miratur membra decori
Corporis, & gaudet talem meruiſſe miniſtrum.
Interiore domo poſuit, committitur vni
Parthenopes Regnum ſeries auguſta tuendi.
Hinc variæ tibi curæ, hinc cœnæ rara voluptas,
Hinc modicum temetum, hinc mille laboribus actum
Parca quies, tenuiſq; ſopor, luduſq; iuuabant.
Nec ſeruire pudet, lunaris quæ globus ambit
Omnia qum noſcas parendi lege creata.
Seruitium muliebre tulit Tirynthius acer,
Lydia qum traheret victrici ſtamina palma.
Emathij Phœbus pauitq; armenta Tyranni.
Miratur vigilem cernit quicunq; miniſtrum,
Intactamq; fidem niueo velamine tectam.
Pro domino quaſcunq; vices, quoſcunq; labores
Non ignem ferrumq; timens, tolerare paratus.
Premia ſed caſte nimirum digna mereris
Carrafos coluiſſe lares, dextroſq; receſſus.
Parere imperio ſubiectas protinus vrbes
Mitis iuſſit herus, cuius mandata faceſſens
Sumis iura libens, varias moderaris habenas
Pectore (magna fides) alacri, plauſere tonanti
Dona pio dantes paſſim matreſq;, viriq;,
Signaruntq; diem fruſtum meliore lapillo.
Continuo omne malum, omne nocens atq; omne ſiniſtrum
Vrbe fugas, populoſq; doces ſeruare ſalutem
Quæ peperit multis tranquillę fędera pacis.
Sic Numa Romuleos patres paruumq; ſenatum
Flexerat in leges, ſancto quom iura verenda
Ore dabat, monituq; graui mulcebat Aſyli

Vulgus, Aricinæ narrans dictata maritæ.
Munificus proprios in publica commoda vertis
Vſus, ingentem ſolitus contemnere cenſum.
Nec mirum. multum quæſisti nanq; bonorum
Non ceu turba ſolet, ſtimulat quã ſacra libido
Argenti, illicita loculos ſaturare moneta.
Præmia largiris iuſtum rectumq; colenti
Aequa ſuis meritis, pęna multare nocentes
Idem immota lance ſoles, non ira laceſſit
Trux animum vexatq; grauem, nec amore moueris
Qum fuſtes in probra capis, rigidaſq; ſecures.
Quidq̃ animos fędare humana cęde frementes
Dirius eſſe poteſt: tepidumq; haurire cruorem?
Non violare pios damnoſa pecunia mores,
Non hominum maculare valent promiſſa nocentum.
Te penes vſq; habitat terris nondum alma relictis
Diua ſata Aſtręo, liceat mihi vera profari
Iuſtus Ariſtides non tantum fulſit Athenis,
Quantum tu in latijs radias Iuſtiſſimus oris.
Nanq; caues quæ iura vetant Romana, facisq;
Quæ legum præcepta monent, es maximus æqui
Arbiter, & nullo temerato corda tumultu
Idem eſt infauſtis animus felicibus idem.
Pyreo talis ſapienti, fronte ſerena
Qui egreſſus limen ſemper, ſemperq; reuerſus
Xantippe admirante domum, quem nulla malorum
Mouit forma Sophum, gelidę non pęna cicutę.
Inq; tuo longam charites fecere, & amores
Miti corde moram, lenis clementia, necnon
Immaculata fides aſpectu candida, quam non

Vlla vetuſtatis conſument damna malignæ.
Adde ꝙ ante annos in te prudentia præcox
Regnat, adhuc mollem barba monſtrante iuuentam,
Et qualis decuit Troiano Neſtora bello.
Nota loquor, nullum iuuat hic me fingere carmen,
Sparſa etenim eoos fines, & ad vſq; Triones
Fama tui gelidos decoris, quã turbidus Auſter
Vltimus occiduæ miratur & incola terræ.
Sed quid plura cano? numeroſis laudibus eſto
Finis, quas iugi cupiet qui ſcribere verſu,
Oceanum vaſe exiguo concludat oportet,
Gurgite qui refluo totum circũſonat orbem.
Atq; prius numeret conuexi ſydera Mundi.
Sis felix, ſuperi tribuant & viuere vitæ,
Quantum vel Neſtor vixit, vel docta Sibylla.
Inſuper aduerſos valeas vt temnere caſus,
Et lęta atq; virens maneat Ioue dante ſenectus.
Augeat & fœcunda tuos lucina penates.
Pignora pulchra creans, atq; æmula laudis auitæ.
Pignora diuino quæ nutriat inclyta virtus
Nectare, honoratoſq; velit ſummittere faſces.
Hanc ſtabili ſeriem ſanxerunt numine parcæ,
Et firma ætherneis glomerarunt ſtamina fuſis.

Ad Alouiſium Spoletinum.

Aſpice ceu tenera niteant lanugine malę,
Doctorum ferulas tempſiſti, ſemita vitæ
Veſtiganda hodie eſt, ſtimulis agitare iugales
Dedecet, ante queas ni extremam noſcere metam.
Num labor euitandus erit? num turba dolorum

Anxiatum torue Mortis pendentis imago
Sectari virtutis iter truculenta vetabit?
Non ita, non luxu, verum ſudore paratur
Virtus, ſed placida requie poſt donat alumnos
Grata ſuos, ſamij nos admonet ipſa Magiſtri
Littera, quid dextros ceſſas aſcendere calles?
Metire vt ſtatuit vitam producere magnus
Alcides, pęni iuuenis victorq; rebellis.
Alpes optaſti pridem penetrare niuoſas,
Et Tarteſſiaci domino ſeruire ſenatus.
I propere, diſrumpe moras, & pelle ſoporem,
Pelle, tuum tenebris hebetantem lumen opacis.
Multis clara foris quæſita eſt gloria, prorſus
Quæ ſummerſa domi patrijs laribuſq; laceret.
Externos pete (quandoquidem peruertere mentem
Cura domus ſolita eſt, virtuti inimica) penates.
Exilium quodcũq; feras, vt quærere poſſis
Diuitias, ſuperas & ad auras tollere nomen.
Indomitum Cæſar ſi robur nouerit, atq;
Egregios animos, & membra decentia pugnas,
Caſtrorum tradet munimina, iura ducumq;.
Quantus eris, Martis duris exercitus armis,
Spiritibus tumidis metuet gens gallica, necnon
Nerians Auſonium docilis contemnere ferrum.
Romanuſq; graues ſenones, iaculoq; ſuperbus
Leucus, priſca & Troum Aruernus origine gaudens.
Omnes quiq; habitant Ararim, Rhodanumq; Coloni.
Martia qum vaſto torquebis tela lacerto
Oppoſita vel qum defendens pectora parma,
Strenuus armatum tendes bellator in agmen.

Qumq́ cruentabis calcaribus ilia crebris
Cornipedis, fortem manibus, vultuq́; minacem
Cernere erit, danaas Hector ſic enſe cohortes
Sic contra tumidus phrygias fundebat Achilles.
Attamen & placidus ſubiectis hoſtibus eſto,
Atq́; pius, magnos animos clementia monſtrat,
Atq́; Deos æquat nobis, qum ſtrage cruenta
Abſtinuiſſe manus placuit, ſi forte dederunt
Tempora dij voto dextri aſpirantia. ſerua
Quos fortuna graui deiecerit impia caſu,
Quatenus aſſiduis opibus potes, atq́; foueto.
Quod facit haud hodie miles, qui aliena paratis
Miſcere, & dites inhiat ſpoliare penates
Polluere atq; nurus (infandum) miles iniquus
Ille eſt, captę vrbis qui obſtacula fracta ſubiuit
Poſtq́ acer ſonipes, cladem denunciat atram
Indigenę trepido, iuguloq́ accommodat enſem
Neſcius immodicos animi compeſcere motus.
Barbarus atq́ ſibi nullo quæſita labore
Vendicat, & charo dominos e limine pellit.
Sed memor eſto aries lapſo velocior aſtro,
Compagem annoſæ qum tentat ſoluere molis,
Vel qum fœmineo eſt contorta phalarica crine,
Spelucas intrare cauas, terræq; meatus.
Non clypeus non te Thorax, non ferrea caſſis,
Non ocreæ poterunt non demq́; pila tueri
Incude illa licet fuerint ſudata Cyclopum.
Hæc etenim ingentes perrumpet machina muros.
Cura igitur, ne te ſubitis tormenta ruinis
Inuoluant, corpus ne leues ne peruolet auras.

Alonisio Alemano Ruſcian. S. D.

PRoxime elapſis diebus a Petro Bernardo vtriuſq; noſtrum neceſſario accepi,q̃ de me candide ſentias.quã[q] ipſe ſupellectilem meá probe noſco,debeo tamen tibi nó vulgariter,quippe qui e muſca(vt eſt in prouerbio)feceris elephantum.vt vicem reddam, non quo plebeij ac Muſaꝝ expertes ſeſe inuicem demerentur,munere te donare conſtitui, ſed quod a literatis vltro citroq; mitti conſueuit.Qualecũq; ſit ſi boni conſulueris,vt meliora dem,creueris animos.Id tamen in ſcriniolo rerum chariſſimarum habeas velim,amicitię pignus,quæ mihi tecũ ſuperioribus diebus interceſſit. Vale, & grandiorem ætatem cauſis forenſibus ſupramodum exercere deſinito,exiſtimatoq; lucrum feciſſe nó mediocre tertium & ſexageſimum ætatis annum quem Climactericum appellarunt,communem ſeniorum omnium ſcalarium abſq; periculo & clade aliqua euaſiſſe. Pſychro quinto Calendas Martias M. D. XXVII.

QVm pateat latus currendi campus,& æquor
Qum mea non poſſit vaſtum ſuperare phaſelus
Virtutum,quibus haud aliter mi Alemane diſerte
Fulges,q̃ nitido radiat formoſus olympo
Delius,immenſum luſtrat qui lumine mundum.
Neſcius,vnde mei ſumant primordia verſus,
Neſcius,vnde canam,referendi cuncta libido
Non tamen eſt,ſed pauca loquar, ſi phœbus & euan
Et ſimul ipſe chorus cantantũ Heliconius adſit.
Vt primum cupiens te compellare,tuorum
Tectorum (veluti noſti) ſpacia ampla ſubiui.

Auguſtum miror longæuo in corpore vultum,
Caniciemq́; alti reuerendam verticis, atq́;
Extantes humeros, quales habuiſſe Platonem
Aiunt, & forti membra exoptanda gradiuo.
Sunt hæc magna quidem, verum maiora ſuperſunt
Commoda præcipui partis melioris honores.
Scilicet ambiguis ingens prudentia rebus,
Qua ſine nulla putat ſapiens inſignia græcus
Virtutis, nunq̃ non hæc ventura putaram.
Dixiſti, verum cęlſa rationis ab arce
Cuncta prius turbent animum mala proſpicis, eſq;
Fortior in duris fortunæ caſibus, idq́;
Omnibus egregie patuit, cum funere acerbo
Inſignem forma iuuenem, caſtiſq; decorum
Moribus a nobis traxit Mors inuida natum.
Non tibi luctus erat, non planctus, robore mentis
At tolerans infractę quem libitina dolorem
Intulerat, triſti latitabat corde verendus
Mœror, conſtantem laudant antiqua Catonem
Scriptorum monimenta, reor ſi tempore eodem
Vixiſſes, de te doctos potiora locutos
Eſſe viros, debere cui intemerata fatentur
Iura, etenim ſancti cuſtos vigilantior æqui es,
Iuſtitiamq; colis, potuit quem nulla libido
Flectere, quin ſemper viuas ſeruator honeſti.
Reddere depoſitum ſedato pectore promptus
Fortunæ æs, nullam patitur dea cęca repulſam,
Sic eadem Nemeſis cum mox tibi blanda reuerſa eſt,
Carbaſaq; implerunt auræ deſerta ſecundę,
Turpe, & ridiculum tumidos oſtendere faſtus

Duxiſti,& ſummis digitis incedere,quem non
Flexere aſſidui faſces,& multa curulis,
Donaq; erythræi pelagi,qui ſpemq;,metumq;
Alta mente premis, pedibus qui limina Mortis
Calcas fixa trucis,necnon Acheronta ſeuerum.
Sed quoniam Patriam popularia prœlia turbant,
Miſcuerit ſi forte manus,Tu protinus ille es
Qui Ciues ad tela tuos crudelia promptos
Mulces,ne feriant dicendi præditus arte.
Et grauitate vales cęcum frenare furorem,
Inde vbi compoſitus ceſſat ſæuire tumultus,
Immane accuſas facinus,bellumq; nefandum.
Te iurgante ſilet ſtolidum atq; ignobile vulgus.
Nec modo ciuilis motus pacatur,& amens
Seditio,placidæ pacis quin auctor haberis.
Nam coeunt infenſi per te in fędera Ciues,
Quis fructus dicet ſtudiorum? altum æthera longas
Aſtrorumq; vias,& ſigna cadentia noſcis,
Necnon defectus phębi,,phębiq; ſororis.
Præterea Sophus es,viuendi norma beatę.
Qui vitium damnare ſoles,contráq; probare.
Virtutem,qui ſumma boni noſtræq; ſalutis
Directum oſtendis callem,qui præmia monſtras
Quanta bonos poſt fata manent,& quanta maligni
Supplicia expectent in fędo dæmonis antro.
Vtq; orci fiant prædæ,quos falſa fefellit
Relligio.reſeras diuini arcana Platonis,
Dogmáq; Socraticum populo mirante recludis.
Verum, quæ paruo doctor gargetius horto
Fuderat,vt fidei non conducentia noſtrę,

Prauaꝙ & a recta penitus ratione remota
Iure ſiles, aperis nunc alta exorſa Maronis,
Atq́; cothurnati ſublimia carmina vatis.
Arpinas & quæ facundo dixerat ore
Eloquij ſplendor latij, cuſtoſq; ſalutis
Romaleę, armato in patres, matresq́; Cethego.
Nunc ſacra cornigero Moſi præcepta reuelas
Tradita, quæ & nobis natus dein ſanxit Ieſus.
Et Sauli Ambroſijq; doces ſcripta, illius atq́;
Quem ſupplex genitrix luctu confecta frequenti
Carcere ab inferni, longaq; a Morte redemit.
Pagina ſed ſi aliena animum fortaſſe fatigat,
Voluis opus proprio ſudatum Marte, iuuabit
Quod ſat palladios per ſæcula cuncta nepotes.
Es legum Sapiens ſanctarum, nocte dieq́;
Verſas Cæſarei ſinuoſa volumina iuris.
Quem ſemper facilem vultu aſpexere clientes,
Quorum plena domus, quem ſemper turba reorum
Orat, ne informi patiaris morte perire,
Ingentemq; auri cumulum promittit, at ipſe
Non auro motus, verum pietate, repente
Tradis opem, neruoſq́; intendis ſedulus, ergo
Supplicia immitis quos damnat ad vltima iudex
Obſcuro pauidi ſoluuntur carcere ſontes.
Lętantur ſæuas hi vindicis arte ſecures
Euaſiſſe, quibus mutilantur crimina, & illi
Quod non extorres Patria pelluntur ab vrbe.
Ecquid plura canam, ſi corpora laſſa ſoporem.
Nil vltra ſufferre valent, placidumq; cubile
Exoptant, mediumq; tenet Sol aureus orbem

Antipodum,carpuntq́; animalia cuncta quietem?
Ergo vale,phrygiumq́; queas tranſcendere felix
Aeuum,luctificas defenſus cladibus,vna
Coniuge cum caſta molli potiare ſenecta.
Aſt vbi functus eris longæue munere vitæ
Solues atq́; Deo conſtanti corde tributum,
Extemplo elyſium ſubeas,ſedeſq; piorum,
Aethereamq; domum ſcandas ſublimis,Ieſu
Hic vbi virgineo lętus ſine fine fruaris.

Cuſtos meticuloſus.

TEmpus erat quo libra æquales fecerat horas
Et noctis luciſq́; ſimul,qum vinitor vuas
Calcat,bacchæo ſordent & pręla liquore,
Inq́; forum calabri venalia cuncta ferebant,
Carraſi iuxta vallatus Principis ædes:
Quos inter vir fronte graui,ſermone modeſto,
Moribus atq́; pijs,nulli qui cederet æquo,
Sic ait.O coniux oculis dilectior,alma,
Venerunt celebris tandem Solennia menſis,
Quis bona dat venum diues mercator,emitq;.
Huc conferre gradum nobis de more neceſſe eſt,
Communem tueare domum,curare memento
Pignora,præbe operis mercedem,alimentaq́; nauis.
At quoniam infenſo ſemper circundamur hoſti,
Qui laudi malefacta dedit,qui criminis auctor
Omnis,& eſt fraudis doctus fabricator opertę.
Nunc delubra Deum ſpoliat,triſtiq́; nocentes
Fœdat cęde manus,nunc matrum turpis adulter
Connubij temerat ſocialia fœdera caſti.

Inſidias vereor tacitas ne nocte pararet
Callidus, atq; dolis pectus muliebre malignis
Falleret, heu timeo noſtrum ne frangere limen
Audeat, eratos necnon proſternere poſtes.
Me procul e patrijs laribus, nam ſedula corpus
Fœmineum Natura vllo ſine robore fecit,
Et molles animos, ad Martia pila lacertos
Infirmoſq; dedit, belli non vſibus aptos,
Attamen inualidos ignaui corporis artus
Præſtanti optatæ penſauit munere formæ
Quæ cupidos iuuenes letali vulnerat ictu.
Tuta igitur valeas vt dormitare iugali
Nocte toro, dubijs probrorum libera curis,
Fratrem accerſe tuum, qui te cuſtodiat, atq;
Vindicet a ſæua metuendus cuſpide, clade:
Et tecum fuero donec ſemotus ab vrbe
Dormiat, immo face vt vigilet, ne haſtilibus intret
Fiſa cohors, totamq; domum perturbet, agatq;,
Non ſecus atq; lupus rabies quem vexat edendi,
Hinc atq; inde gregem mordens qum tornus oberrat.
Hæc ait. & plures monitus audire volentem
Vxorem medio timidam ſermone reliquit,
Atq; aſcendit equum, cuius calcaribus aluum
Vrget, iter cęptum peragens, natoſq; ſalutat,
Conſortemq; tori, quæ chari more pudico
Coniugis imperio cupiens parere, ſycambrum
Qui patruelis erat (propiori ſanguine iunctus
Nanq; abſens vrbem peregrinam frater habebat)
Euocat, it propere, ne quicq; viribus audens,
Oſtentans animos, capitis qui ſponte paratus

Diſcrimen quodcunq; pati,quęcunq; laborem,
Fortunæ quaſcunq; minas; ſine ſanguine victor
Haud ait hoſtis erit, ſi me iratumq; ſuperbum
Sentiet,indomitum certe vitare furorem
Ambiet,exiguis noli diffidere membris.
Sæpius in modico ſtetit ardens corpore virtus
O ſoror,indiciumq; oſtendit roboris alti:
Corpore procero fuit haud Calydonius Heros,
Illius at vaſtas duro in certamine vires
Quinquaginta acres funeſto Marte cadentes
Mirati ogygidæ,& profugi fera mœnia Cadmi.
Quæ mora?prodigus en animæ ſum,lucis & oſor?
Hæc iactat ſero emeritus deceſſit olympo
Sminthcus,atq; iubar curru vectante decorum
Tethyos in fluctus immerſit anhelus iberę.
Pręripuitq; diem,tenebraſq; infudit opacas.
Illi ſollicito noctem ſermone trahebant,
Qualiter infeſtam valeant compeſcere plebem,
Hoſtileſq; minas,tandem languore ſoluti,
Leniter incipiunt tacito ſuccumbere ſomno.
Qui prius in nullo poſitus diſcrimine belli
Ingentes animos dubioq; in Marte feroces
Frater in armatum fatuus promiſerat hoſtem.
Qui tumidis fortem verbis pręſtabat Achillem,
Necnon Aiacem,& generoſum Tydea fœde
Nunc trepidat,vilemq; probat ſe Martis in armis
Degener,ante tubam tremebundus,limina primum
Firmat,& ingenti clauſit mox obijce portas.
Circuit atq; aulę penetralia cęca,receſſus
Luſtrat,habet quoſcunq; domus,ne ſemina fraudum

Vlla forent denſis abſcondita forte tenebris.
Immaniſq; cohors latitans per operta ſileret,
Et pacem in ſomno turbaret pectoris alto.
Nil tamen inuenit, valeat quod iure timorem
Incutere, atq; graui motu vexare quietos.
Non contentus eo, ſed quem ſeruabat ad vſum
Gradiui imbellis nudauit protinus enſem,
Non prudens, verum timidus, nanq; omnia quærit
Arma, quibus poſſit patrui defendere natam.
Alcidę & Theſei veſtigia magna ſecutus
Elicit attonito muliebrem robore clauam,
Et curuam falcem Saturni, miſſile quodq;
Eminus excuteret tremulum, ſi exegerit vſus.
Tectus deinde torum pectus thorace ſubiuit,
Subq; ſua ceruice locat, quæ aggeſſerat, arma.
Vt ſi audax armis ędes inuaſerit hoſtis,
Poſſit in aduerſam melior concurrere turmam.
Qui licet in molli cupiat requieſcere lecto,
Feſſaq; nocturno concedere lumina ſomno.
Attamen haud dormit gelida formidine preſſus,
Perpetis & cunctas inſomnes tranſigit horas
Noctis, & incaſſum poſuit ſua membra cubili.

Marco Antonio maagno ſuo
beneagere.

VEllem equidem humaniſſime Magne vel cottidie ad te literas perferendas curare. Sed onere literarij muneris impeditus, ipſi mihi gerere morem, meoq́; ſatis nequeo ſacere deſiderio. Verum conmiter interrogares. Heus Caſopere ecquid ludi litterarij munus iſtud tanti eſt, vt quum opportunitatem ſcribēdi nactus fueris vllam, ad me literas dare nequiueris? Num Neapoli, num Peruſię, num Bononię profiteris? vbi ſexcenti auditores facerent te plus ęquo negocioſum? minime hercle. Tu in oppido ludum literarium aperuiſti? vbi ſi bubulci, Opiliones, molitores, agaſones, veterinarij, ſutores, abietarij, machęropij, tonſores, malleatores, vaſculary, pictores, caupones, myrobrecharij, propolę, fullones, ſarcinatores, negociatores deniq; omnes ſtudio eruditionis incumberent, teq́; audirent vna cum ſcholaſticis reiq; literarię ſtudioſis qui tibi in pręſentiarum dant operam, ob paruitatē profecto numeri haud quaq̄ te fatigare poſſent. Proinde excuſatiões tuas lubricas illas quidem & nihil roboris atq́; neruorum habentes nullatenus admittendas cenſeo. Fruſtra igitur Magno imponere credidiſti. Ad hæc reſpondeo. Nunq̄ id mihi per Deum perſuaſiſſe. Etenim qui queūt acutiſſima viſus acie, vel oculatiſſimum lynceum ſuperanti, & nihil in tenebris (vt aiunt) Cymmerijs offendenti verba dari? Sed ſi rem omnem accipies, non vereor, quin ſis affirmaturus, nec tantillum quidem ocij mihi in exarandis literulis ſuperare. Primum vt verum fatear, ſiquidem nec mihi fas eſſe arbitror vt cū Seuerino loquar, Socratico decreto vel occuluiſſe veritatem, vel conceſſiſſe mendacium, diſcipuli ſunt hucuſq́; mihi perpauci,

mea tamen intereſt nihil, quandoquidem his ab municipibus, qui me menſurna mercede conduxerũt, mineruale mihi munus quot menſibus ſoluitur. dicere tamẽ nequeo quantam ſedulitatẽ, induſtriam, nauitatem his in auditoribus inuenerim. Audi quæſo quo ſuæ eruditioni cumulatio conſulerent, onerarunt me multiiugis lectionibus, profecto non negligendis. Et ſi quid eos hac in auditione præterierit centies me interpellant, obtundunt, vt id a me denuo explicetur, enucleeturq́; poſtulantes. Sed id me vel maxime torquet, penéq; exanimat, ſi quod pro virili parte ſemel atq́; iterum expoſui, ſępius id veniant poſtulatum. recte noſti repetita Cambre nihil quod maiori quidem anxietudine afficiat doctores ipſos. Huiuſmodi tamen laborem dicam, potius an moleſtiam? detrectare nõ potens, vti mearum partium eſt, ęquo animo fero. q̃ cuperem tali vinculo ſolutũ intra domeſticos parietes ſuauiſſima mentis meditatione frui. vbi otium (vt appellant) negotioſum exhilararet me, afficeretq́; voluptate q̃maxima, & tecum per literas q̃ſępiſſime colloquerer, nũc vero, qum in diſcipulis ſtrẽnue nauiterq; erudiendis diſtrictius ſim, adeo q̧ ne reſpirandi quidem tempus mihi reliquum eſt, perraro literas meas accipies. Huc accedit q̧ loci inamabilis inamœnitas intemperieſq́; aeris non modo perturbationes non leuat, ſed ubertim accumulat, abeat in Catonium, diſpereatq́; fortuna, quę mihi nũ᷈ꝑ deſtitit nouercari. Hoc ſilentio non inuoluam, ſed fatebor ingenue, q̧ nullis in poſterum conditionibus adducerer, vt hic iterum profiterer. tanti enim pœnitere non emo. quid faciundum ſit neſcio, temporis habenda ratio eſt, & id ſapientem decere prorſus arbitror, parendũq́; neceſſitati, aduerſus quã (ſicuti prouerbio gręco dicitur) nec Dij quidẽ pugnant, cuius curſus tranſuerſi impetum (dicẽte laberio mimographo)

voluerunt multi effugere, pauci potuerunt. Acceſſit etiam tot quæ vndiq; in dies emergunt, ſolicitudinibus hæc carnificina, q́ arbitratu meo hanc nequeo prouinciam miſſam facere. etenim ad uſq; poſtremam Auguſti diem officium his profitendi debeo. Si dabitur tamen exacto prælegendi curriculo domum repedare, ſcito tunc ceſſationem ſcribendi crebris me literulis purgaturum. Enimuero tantus eſt horum omnium & præ cęteris phanetæ noſtri candor morum, tanta in colendis literatis obſeruantia, tantum officiorum ſtudium, vt hilarem attulerint ſpem, ad Calendas vſq; Septembres hic trahendi moram. Rem autumo probe tenes, dediſti veniam, Dij te ſoſpitent. Sed audi amabo quorſum mea tendat oratio, qum diem dominicum ſubſequerentur ſolennia Diui Sebaſtiani, proindeq; a lectione feriato duorum dierum ociũ concedebatur, cœpi mecum vel anxie cogitare, qua potiſſimum ęditione quæ tuis auribus aliqua ſaltem ex parte digna videretur, te munerarem. Tu mihi ex te primitus ſuccurriſti. Sed qum ſcirem gloriam tuam eam eſſe (quod de Mantuano vate Macrobianus Symmachus ſenſit) vt nullius laudibus creſcat, nullius vituperatione minuatur. alio mentẽ e veſtigio verti meam. Secundum te venit in mentem ſuburbanum iſtud tuũ. Magnum ſenariolis ſcribendum aſſumere, & huic tandem cogitationi ſupremam manum imponere deſtinaui, id enim ratus ſum, tibi gratiſſimũ fore. quandoquidem noui te rei villaticæ ruſticæq; egregie ſtudioſum. Itaq; duorum me hercules aut trium ad ſummum dierum ſpacio profuſam ſyluam hanc ad te mitto. Tu mi Magne non cuperata fronte ſuſcipias, in eaq; perpendenda examen obſecro iſtud tuum deponito, & lege cũ venia. Etenim nec ad Ariſtophanis lucernam, nec ad Cleantis lucubraui, intraq; arculam tuam ybi raros neceſſa-

rios condere conſueuiſti, ſerues velim, & tanti ſcito me a te fieri, quanti te nugas meas exiſtimare cognouero. Hoc vnum *monuero tamen, vt ſi fortaſſe probaueris, atq; idcirco (vti ſoles) laudare volueris, adhibita temperamenti maturitate laudato parce, tenuiterq;. nec me* Fauorinus *philoſophus deterret, qui (autore* Gellio*) turpius eſſe dicebat, ieiune atq; frigide laudari, quam inſectanter & grauiter vituperari.* Etenim *fieri non poteſt, quin pudorem rubore prodam, qum doctrinæ in me eſſe pauxillulum, ac ferè nihil rite norim, & a te tam luculenter tamq; prodige commendari conſpiciam, quod qum ab eruditione noſtra, quæ nulla eſt, vel profecto quam maxime puſilla non proficiſcatur, (quod liquido præſtare valeo) ab ingenij tui facilitate proficiſci neceſſe eſt, amiceq; facis, (vt* Lælij Tulliani *verbis vtar) qui mihi tantum tribuis, quantum ego nec agnoſco, nec poſtulo.* Non *tamen ire inficias auſim, laudatione tua mirifica me titillatione geſtire, & mihi nimis placere.* Eſt *enim (ſcribente* Cicerone*) iucunda laus, quæ ab his proficiſcitur, qui ipſi in laude vixerunt, & apud* Neuium *Hector laudari lętatur a patre laudato viro. quod (vt mea fert opinio) mihi vitio dari non debet, qum nulla tam excælſa, tam* Illuſtris *virtus ſit, quæ dulcedine gloriæ non moueatur.* Cuius Marcus Tullius *noſter fatetur ſe auidiorem, etiam quam ſatis eſt.* Verum *de his ſatis, ſuperq;.* Commendarem *me tibi Magne per has literas, ſed peccarem, qum peccet (vt cecinit* Epigrammaticus *poeta) qui commendandum ſe putat eſſe ſuis.* Etenim *tantum a te in omnibus mihi polliceor quantum ab eo, qui me beneuolentia maxima complectatur.* Nec *vereor, quin illud ipſum re ipſa ſi opus fuerim, inueniam.* Tu *quoq; inhæſitanter tibi perſuadeas velim,* The-

ſeum dilectiorem magno habere neminem, quod (vt arbitror) nonnunquam intellexiſti, cuperem nihilominus vt clariori deprehenderes argumento, quando nullo tibi loco, nullo tempore deeſſe poſſem, etiam apud manes, ſi modo poſt obitum aliquis amori locus relinquitur. Hæc *ex animo ſcribo, non vt plæriq; facere conſueuerunt) aliud ore, aliud corde ſentiens, nunquam enim feci fucum, & eo ingenio natus ſum receſſus animi promptos in fronte gerere, liquet omnibus, ſicuti in labÿs ſemper meis nates ſuauiſſime* Magne*, adeo me deuinxiſti, non officÿs, quæ apud me antehac nulla profecto collocaſti, niſi quia me amas, inſigne beneficium contuliſſe, dicendum eſt.* Sed *elegantia quadam non vulgari, dexteritate morum ruſticitatis experte, poetices ſtudio, necnon florenti facundia, in qua tempeſtate quidem noſtra primas tibi omnes merito tribuunt, adeo enim excellis in arte dicendi, vt ſi* Marcus Antonius *gentilis tuus æuum degere, & tecum in eloquentiæ ſtudio certamen haberet, dubio procul herbam tibi dare cogeretur.* His *inquam omnibus adeo tuæ me obnoxium, mancipatumq; beneuolentiæ reddidiſti, vt ſi (quod dÿ omen auertant) malignorum aliqua vi fatorum abs te fortaſſis abalienarer, iniucundam eſſe mihi vitam exiſtimarem. quid aliud ad te per epiſtolam ſcribam, neſcio.* Tu Magno *prædio tuo, quod quia a te amatur, mihi quoq; diligitur, verbis meis ſalutem aſcribas. & vale mi* Magne *magnorum columen virorum & ornamentum.* Vale *iterum, & ſalue ex* Roc. Ber. *ad octauum* Calendas Februarias M. D. XXVIII.

TVrrita in Calabris obſcuri haud nominis oris
Vrbs eſt, nubigenę qua profluit vnda Neęthi,
Monte ſita aerio, lapidoſis rupibus, atq;
Ante alias longo circum munimine cincta,
Vnde geras bellum, certe eſt aptiſſima, nanq;
Incaſſum foret hanc Aries contortus in vrbem,
Mite habitat genus hic hominum, iuſtumq́, benignumq́;
Atq; pium, nulli niuea probitate ſecundum.
Hæc placet, hanc optas Veneta tellure relicta
Diuite, nobilis & patriæ tam dulcibus oris
Magne Seuerina degis iucundius arce,
Qui licet aſſidue vatum monimenta volutes,
Romuleam decorantum Cecropiamq́; Mineruam.
Priſco more tamen commendans viuere curui
Ruricolę, tranquilla quies, & grata voluptas
Neſcia cui fraudum mens eſt, exemptaq; curis
Vrbanis cedis laribus, turbæq́; relinquis
Murmura, rura petens, tacitos nemorumq́; receſſus.
Quo valeas duros ſtudiorum ferre labores
Lenius, ignauę deuitans tędia gentis,
Muſcoſos fontes & amœna vireta requiris:
Nunc mihi pegaſidum turba comitate ſororum
Phœbe veni dexter, cœptiſq́; audacibus adſis.
Sacrorum liber ſpes & certiſſima vatum,
Deſere fraterno pollutas ſanguine Thebas,
Meq́; precor doceas ſeceſſus diuitis agri,
Integer autumnos lęthales tranſigit, atq;
Feruida Magnus vbi flammati incendia Cancri.
Semine conceptus Magnus Iouis aſtra tenentis,
Editus & pulchrę bibit hubera turgida lacte

Mellito Veneris, mox ſacro merſus in amne
Vocales auidis exhauſit faucibus vndas.
Quam colis aerea non multum eſt vrbe remotus.
Mons, & Thyrſigero Bromio, Cererique ſacratus,
Aeolias ſuperant cuius faſtigia nubes,
Egregiaq; loci facie, cœloq; ſalubri
Ornatus genio felici, vergit ad Auſtrum
Himbriferum, tenero veſtitus gramine, late
Purpureo verni floris diſtinctus honore.
Sub cuius radice ſedet fęcundus & omni
Menſe ſerendus ager, non raſtri aut Vomeris vllam
Poſcit opem, pinguiſq; fimi, nanq; hubere glebę
Fertilis vſq; adeo eſt, vt quantum luce vorarint
Herbarum Simę laſciuo dente Capellę,
Tantum humor mundi phœbo inferiora tenente
Snfficit, & tonſæ ſarcit diſpendia terræ.
Corniger hic Bacchus lęta nitidusq; iuuenta
Flauaq; feruenti reſecans Dea ſidere meſſes,
Semicaperque ſimul faunus, fęcunda paleſq;,
Atq; Cicuticines panes, Satyriq; petulci,
Et mitis colitur vario oblectamine cloris.
Primum ibi perpetuo ſociatæ fędere vites
Arboribus, prima (res mira) æſtate beatus,
Ditatur fructu iucundo lucus Iacchi.
Ergo luxuriat longinquo ex orbe petitum
Vuarum omne genus, quibus e Thaſiæ, Rhodiæq;,
Et pſythia, & precię, feſtini hę temporis vſu
Præueniunt alias, cęca conamine vatis
Quem non vrbs ciuem pugnando vendicat vna
Pampineum nemus Andęi dignumq; Maronis.

Cederet huic vltro placidis methymna racemis,
Atq; falernus ager, Niſeo palmite lydus
Atq; ſuos vinci Tmolus pateretur odores
Nec mirum, nam cuncta facis ratione, modoq;,
Nil actum temere eſt, non ſicut cętera turba
Commendas ſuperis operarum Magne labores.
Ordine ponendę quo ſint aſtroq; nouellę
Curandęq; probe noſti, quotieſq; quotannis
Sit frangenda graui quãuis ſit opima bidente
Tellus, quæ Bacchi viridantia munera nutrit.
Omnia ſcis tandem, deceat quæ ſcire Colonum,
Quod Senis Aſcræi didiciſti carmina mandant,
Quicquid & Agricolas Senioris rara Catonis
Scripta docent, Columella ſimul quæ condidit, & quæ
Palladius, geminę atq; alij virtute loquelę.
Pondere curuatis nimio pomaria ramis
Quidue canam arboreos fœtus? ſyluaſq; virentes
Mala vel hyberna generantes mitia bruma?
Aureus Heſperidum longe his aſſurgeret hortus,
Et Corcyrei regis, Syria atq; volema
Et cum Purpureis ſunt regia, ſuntq; ſuperba,
Et pyra cruſtumia, haud deſcribere ſingula poſſem,
Quãuis pieriæ vellent dictare ſorores,
Nyctileuſq; pater. vidi ſtupuiq; volemis
Ex ortis deſumpta tuis maiora, quot annis
Sergia multa oleum fructu huberiore miniſtrat.
Haud equidem quondam, Sicyon cũ hac diuite ſylua
Palladij glauco nemoris certaſſet honore.
Præterea tepidi proſpectat flagra fauoni
Pacifera & plenus phœbi iubar arbore fundus.

Purpureoq́; placent hic punica mala colore,
Meſpila cum prunis, & fulua Cydonia, necnon
Quas græcas dicunt ſiliquas, non muſtea mala
Deficiunt, non mora atro vitiata cruore,
Mananti Thysben iuuenis de vulnere amantis.
An ceraſa & varias ficus & commoda ſorba
Seu vis poſt epulas, ſeu mauis ante comeſſe,
Tranſierim? ſileam ne aſiatica perſica? mittam
Citrea? quæ hamata decerpſti ex arbore poſt q̃
Nocturnis tenebris phœbiq; latente ſorore,
Singula gypſato conſueſti condere vaſe,
Et ſeruare loco (monuit ceu Taurus) opaco.
Voce Tarentinas recitem qua Magne iuglandes?
Quo vel amygdaleos complectar carmine fętus?
Hos Draco non cuſtodit agros, Catuluſq; moloſſus,
Non homo mortali generatus ſanguine, verum
Perſpicuo potis eſt qui lyncea vincere viſu
Sub Ioue ſtans nudo membris Ithyphallus apertis.
Hunc peperit roſei conceptum ſemine Bacchi
Vaſti erycina ſali tumidis quæ fluctibus orta eſt.
Incurua aereas perterret falce volucres,
Immundo lędant ne roſtro mitia mala.
Longęuoſq; abigit fures, pueroſq; ſeueros,
Fęda pati qui poſſe negant muliebria, tanq̃
Hos rigidos tetricoſq́;, parum ſua dona merentes
Territat inguinibus tenſis membroq; verendo
Progenies Veneris, ſed qui didicere feriri
Cuſpide poſtica, donantur munere grato
Felicis ſyluæ patias conceſſa facultas
Carpere procera decocta ex arbore poma,

Atq; puellares expellit pectore Cętus
Caſto, quæ oderunt veneris prædulcia furta.
At quibus amplexus molles, & pręmia læta
Numinis Idalij placuerunt, atq; frequentes
Aſſiduiq; tori, crebræ tedæq; iugales,
Blandior arridet cuſtos. his cardine verſo
Ferrea porta patet, non glaucis denſa ſalictis
Sepes, oppoſita boſq; repagula dura morantur.
His non acceſſus probibet non ille regreſſus.
Sunt prope bacchigenam erucæ, ſaturea, pyretra
Flaua ſimul, bulbuſq; ſalax, & demq; cuncta
Quæ irritant vacuos ad mitia prœlia lumbos.
Nec procul inde epulas inter lactuca priores
Et porri inſignes, quos mittit Aricia. & angens
Lumina cępa. Sopho Samio tribuente ſinapis
Præcipuam laudemq; merens. atq; Alia, (detur
Vera fides oculis) vel grandi æqualia cæpæ.
Adde q; eſt gelidę glaciali frigore brumę,
Qum iacit aut rapidus violentos Sirius ignes,
Temperies, verno qualis ſolet eſſe ſereno.
Irrorat Zephyrus prælargis flatibus agros
Aſſidue, hinc pulcro lętorum munere florum
Ornantur, veluti pauonis cauda ſuperbi,
Claraq; ſidereis ſuperi conuexa tonantis
Ignibus, & rutila radiantis lampade phœbi.
Hic Roſa formoſæ Veneris madefacta cruore
Puniceo fulgore micat, niuea atq; liguſtra,
Et cum flammeola ridentia lilia calta,
Pallidulę & violę, & qui diſci ſaucius ictu
Fata gemit ſua nunc Hyacinthus flebilis, atq;

Narciſſus, propriȩ qui luſus imagine formæ,
Quam vitreis feſſus venatu vidit in vndis,
Dum nequit amplecti, fato conſumptus acerbo eſt.
Nunc flores, pueri formoſi aſt ante fuerunt.
Dotibus haud certe tepidi tot veris abundant
Hyblæi ſiculȩ telluris gloria colles,
Aetnaq;,quo ſtudio flores commota legendi
Quæ mox Tȩnario pro coniuge tradita Diti eſt,
Perſephone acceſſit,Veneris male tuta ſororis
Aegide gorgonea metuendȩ & palladis haſta
Præſidio,& Triuiæ cingit quæ indagine ſaltus,
Exerto formidat aper quam dente cruentus,
Sæuiat ille licet contorti fulminis inſtar.
Florea qui ſaturent & mollia gramina,rura,
Non deſunt blando labentes murmure riui.
A tergo eſt denſis qui obſcurans aera ramis
Lucus ab immodico Solis defenditur æſtu,
Syluanis Nymphiſq; ſacer,ſtat roſida quercus
Fundens mella,ſalix ſteriles faciensꝙ puellas,
Populus Herculeȩ laudata & honore coronæ,
Vmbroſa & priſci platanus nutrita lyȩo
Conſulis,atq; vlmi Bacchȩa fronde decorȩ,
Glandifera atꝙ ilex,incerti & gnara futuri
Arbor,fatidico laurus gratiſſima Phœbo,
Et paphiæ myrtus,quibus inclyte tempora vates
Cingis,Apollinea ſumpto tamen arbore ſerto.
Nec myrtus cedit lauro,nec laurea myrto.
Certatim at veniunt phœbi veneriſꝙ Coronæ.
Hic hic mœſta ſuas iterat philomela querelas,
Phaſidis hic Ales nouat & Iunonia cantus,

BIBLIOTECA NAZ...

Hic & Achantis rubro muricæ tincta colore
Et viridi, fulua torque ornatiq; palumbi,
Et volucrum genus omne leuat modulamine curas.
Hamus hoc mirum, q nec Paliurus iniquis:
Non tribuliq; graues, non carduus ingruit aſper,
Vtq ferunt nullo hic Coluber fuit impius æuo
Viſus, qui valeat diro maculare veneno
Prata, vel incautos ferali offendere morſu.
Pene omiſſa mihi ſpelunca eſt cincta Corymbis,
Ante aditum cuius modico fluit agmine riuus.
Pone leui crepitans Zephyro motatur arundo,
Quæ tibi perſuadet placidi lenta ocia ſomni.
Quid memorem vmbroſos colles? & mitia tempe?
Vndiq; iucundo rident tua prata nitore,
Caſibus afflictos hilarare potentia duris.
Nil hic iuris habet nigri lex aſpera Ditis,
Qua inuiti morimur pueri, iuueneſq, ſeneſq,
Intereuntq; globo lunari ſubdita cuncta.
Huc qum Magne venis placida de more ſalutas
Voce ſacros primum fundi Geniumq;, Laremq;,
Atq; die luſtras eodem tua rura, Colonum
Deinde vocas, pluuioq; rogas quid frigore geſtum eſt,
Degere tunc operę nequeunt quia ſub Ioue nudo,
Non ideo ſegni debent torpere quiete,
Sed ſunt quis valeant nauam exercere iuuentam
Munia, ſub calamis velatę tegmine villę.
Aſt vbi cognoſti cœlo quid fecit aperto,
Aere quid madido, quid relligione verenda
Villicus, atq; ſuæ rationem reddidit artis,
Agreſti inſinuas curanda negocia lege,

Nil'q; putas factum, ſi quæ peragenda ſuperſunt.
Mox leni cura, faciliq; labore ſolutus,
Perſpicuos fontes & propter arundinis vmbram
Venuſonę, lepida accerſitis voce Camęnis
Et Phœbo, varium modularis Magne poema,
Commutáſq; duces, & triſtia bella reponis,
Aonijs clarus numeris, verſuq́ꝫ Canoro.
Et quia ſub cęco meruiſti numine miles
Ex quo paruus eras, cur ignis in ore frequenter
Alterno teneros mage carmine ludis amores,
Atq́; venuſta tua celebratur fœmina muſa,
Da veniam, ſi vera cano, nec turpe putabis,
Q um quis te dicat formoſam ardere puellam,
Nanq́; cupidinei regnant in corde lepores
Ingenuo, faciles habitat Venus aurea mentes.
Raro Amor inflexit ferientes rura ligone,
Syluicolaſq́ꝫ homines, ſuperant hi pectore pœnas
Armeniaſq; feras. nouiſti Magne poetas
Ignes in primis validoſq; decere furores.
Dignos eſſe reor, quibus oſcula dulcia nuptę
Innuptæ. ꝑ ſimul nullo diſcrimine præſtent.
Ipſe quo ꝑ aurata transfixus cuſpide pectus,
Extenuor vigili cura, ſæuoq́ꝫ dolore
Maceror, & tecto nequicq́ꝫ concremor igni.
Heu miſer excrucior nocteſ ꝑ, dieſq́ꝫ, nec vnq́ꝫ
Infelix aliqua potui lenire ſuperbos
Eximiæ dominæ faſtus, iraſq́ꝫ tumentes.
Sed ſi ſcire optas vbi forſitan alma moratur
Diua, ſolum natale habitat, patrioſq́ꝫ penates.
Magne repercuſſi reſonant tua carmina Colles,

Et Nymphæ memori ſyluarum mente recondunt
Quæ tua rura colunt,& Naiades,atq́; Napeę,
Et tali æthereum compellant voce tonantem,
O Cælſi Rex ſumme chori,Mundiq; creator
Qui ętherna ratione deos homineſq; gubernas,
Concede vt noſter Cythereæ Magnus alumnus
Corde hilaro felix annoſum viuat in æuum,
Quæq́; tulit gremio mitis fortuna benigno
Auſtentur ſemper cumulatis commoda donis,
Aladę vt deamam vouiſſe putetur,& ipſa
Quæ colimus plenis niteant pomaria ramis.
Annuit his ſuperi verbis moderator olympi
Iuppiter,& cępit blanda pomona loquela.
Extremum noſtrum eſt munus,mihi tradita ſumma eſt
Fœtibus arboreis ſyluas redimire poteſtas.
Donarunt iuuenis triplici quem nomine gentes,
Concedam vt plenis niteant pomaria ramis.

IANI THESEI CASOPERI PSYCHRONÆI LIBER SECVNDVS.

Caleoto Carrafæ Sanctæ Seuerinæ
Comiti Felicitatem.

MVltifariam Iouem optimum maximum de me benemereri profiteor. Sed hoc præcęteris nomine debeo ſibi ſummopere, ꝙ te mihi ſui beneficentia principem habere contigerit. Nanciſci etenim dominum cui ſubiacerē, minimo hercule mihi labori eſſet, quum plurima ſit vbiq; copia. Sed tibi omni ex parte conferendum nuſq̃ profecto locorum inuenirem, qui Ageſilai fide, Marcelli manſuetudine Ariſtide iuſtitia decoratus inculpatiſſimam vitam degis, & maiorum tuorum nauiter veſtigijs inſiſtis, præcipueq; decori patrui Herois inclyti, cuius memoriam vtraq; Heſperia maxime colit, optime reſpódes. Prætereo munificentiam, quæ viris illuſtribus ingenti eſt ornamento. Tranſeo grauitatem. omitto religionem, ſanctitudinemq;, in qua (aliorum bona venia principum dictum ſit) principatum obtines. Taceo cęteras ſaneq̃ luculentas virtutes, de quibus pro ingenioli viribus orationem habui. Qum igitur te & amarem, & religioſiſſime colerem, quid excellentiæ tuæ cóſentaneum mitterem, penſitaui, quumq; mearum recularum exiguitas reluctaretur, vt locupletiſſimum principem, ampliſſimaſq; fortunas poſſidentem auro donarem. Inter ambigendum fato euenit opinor, vt per quietem mira quidem aſpicerentur, tibiq; nuncianda non pauca patruus tuus æui fruens ætherni.

tate mandaret, veritus ipſe ne ſi principis vnici dicto nõ audiuiſſem, perperã feciſſe dicerer penecp piaculũ admiſiſſe, propterea'q; grauiſſime reprehendendus forẽ, cõfeſtim ſenariolis ſomnũ aggreſſus ſum. Id'q; tandẽ dextro Deorũ numine Coronide clauſi, abſoluiq;, adq; ad te cuius genio feliciſſime patria mea conſecratur, ad te incp Princeps Illuſtriſſime, atq; optime, optimi enim cognomento vt alterum Traianũ merito ſemper nominabo, deferendũ curaui, exile perexiguũq; plane munus, non tamen iudicio meo negligendũ. & quia rebellium obſidioni adeſſe nequeo, carmen id velim noſtri vicem gerat, ipſe tamen vbicunq ero Carrafæ familiæ tuocp in primis nomini viuã deditiſſimus, & qui te vehemẽtiori amore certiori fide complectatur, quot quot ſunt, ſubditorum mehercules eſſe neminẽ. Senſit iampridẽ noſter Magnus, ſumma profecto vir humanitate, animo quatenus domineris meo, vt dignitati tuæ infeſtos odio habeam vatiniano. Sed his de rebus plura verba facere, nõ eſt ocij noſtri. qum alius locus, aliud tẽpus poſtulet. Enimuero inquies, quia me impenſe colas, non inficior, & tu Adoleſcentis hominis nõ ignobilis officio fungeris. Quorſum hæc? ſed ruſtice facis, ſatiſcp inſipienter, qui me in caſtris morã trahentẽ, vbi cũ hoſtibus cottidie depugnatur, impudenter luſibus interpellas. vbi armato mihi milite eſſet opus, tu cõmentitio fictitiocp ſomnio, delirocp potius inſomnio ſuppetias fers. Imbellem ſanè principi tuo ad contundendam frangendamcp tam duri pertinaciſcp populi ceruicem laborãti, opem præſtas. Reſpondebo. Si vt rebus tuis bene conſulerẽ, in extrema mihi dimicandum eſſet, certamen hilariter acciperẽ. & ſi mortem oppeterem lucrum feciſſe maximum exiſtimarem. Ecquid per deos immortales obtigere mihi poſſet optatius, cp tui rerumcp tuarumcp gratia animam expirare? Nunc vero

quum hoſtium rem ad ſacram (vt prouerbio dicitur) anchorã redactam intelligerem, ac prope deploratam, proindeq́ viriculę quantulęcunq́; noſtræ ſunt, pene nulli tibi vſui forent, nihil molior. Reliquum eſt, vt ſi quid ſaciei moleſtiæq́ cõtraxeris, nugis his quas nullis pigmentis fucatas oraculo delphico veriores ducas velim, coner eximere. Tu Clientis tui monimentũ fortaſſe non pœnitendum, æqui boniq́ cõſule. & vale ter felix princeps optime, meq́ amare perge. Ex tua fideliſſima Pſychro quinto Idus Decembris. Quingenteſimo Vigeſimo octauo ſupra milleſimum.

CVruato exoro Princeps te poplite ſupplex,
Macte pudicitiæ laude, atq́; inſignibus actis.
Quem pietasq́; fides ſtupet, atq́; modeſtia morum,
Ardua curarum laxa, grandesq́; paratus
Flecte parum, atq́ leues placeat percurrere nugas
Subq́; tuis titulis & ſub ditione manentis
Theſeos, eſt animo qui toto & corpore votus.
Annuis. Incipiam canere alto viſa ſopore
In ſtygijs domibus, lętis campiſq́; piorum,
Incipiam. faciles quando mihi porrigis aures.
Non opus aonias acire in vota ſorores,
Non patrem Dircæum, non pęana Canorum.
Solus es ipſe mihi Clio, dextriq́; poteſtas
Ignigenę, atq́ idem docti bona numina phębi.
Annueris tantum. diuinum protinus oeſtrum
Necnon gorgonei contemno gurgitis vndas,
Te duce belligeros auſim tentare paratus,
Et peditum cuneos, denſas quoq́ velitum & alas,
Et quæcunq́; nouo memorarunt carmine vates

ſorores pr ſr. pęan. clio

Facta Heroum miranti narranda Nepoti.
Nox erat, & toto radiabant ſidera mundo,
Morpheus & ſomnum dederat mortalibus ægris,
Feſſos mandaram reparandos mollibus artus
Stratis, ecce graui ſunt lumina preſſa quiete,
Oras in ſomnis ſuperum liquiſſe videbar,
Tęnarioſq; ſubiſſe lacus, ſtygioſq; receſſus.
Primos ante aditus occurrunt ſedis opacę
Horrendę aſpectu facies, erebiq; moleſtę
Peſtes. attonitæ curæ, diſcordia librans
Tela manu, præcepſq; igni feruentior ira,
Et cędis ſceleratus amor, fletuſq; cadenti
Hymbre genas caput & maculatus puluere turpi,
Et gelidus pauor, & morbi impatientis imago,
Luminibus liuorq; atris, & lippa ſenectus,
Tarda regens tremulo baculo veſtigia, necnon
Paupertas humilis, quæ gnauo commoda vitę
Sedula rimatur ſtudio, ingenioq; ſagaci,
Deformiſq; fames macie lętumq; triforme.
Mox triſtes amnes Acherontis cerno, fluenta
Pigraq;, qua cupiunt animæ tranſire gementes,
Deſuper ingeſtæ modicæ telluris egenæ
Aeuo (nimirum ſors fati ſæua) ſupremo.
Hac paſſim cuncti volitant iuueneſq;, ſeneſq;,
Quis dura lenes auras prærepta facultas
Carpere lege fuit, crudum rigidumq; charonem
Orant, ſit ſtygiam fas aſcendiſſe carinam,
Et ripas tegiſſe alias, ſoluuntq; trientem
Vecturæ precium, turbę modo paret humatę
Porthmeus, aerio videor liquiſſe volatu

Torrentem inſauſtum, excubat atri Ianitor antri
Tergeminus Canis, atq; aſſibilat angue rotato
Cerberus, intranti quo blandior eſſet, opimum
Obieci fruſtum, tumidas compeſcuit iras
Actutum patuere fores, data copia fines
Infernos penetrare, erebi lucoſq; ſilentes.
Singula dum paſſim ſtupeo, flagrantibus vndis
En phlegeton, iuuat ire, iuuat cognoſcere operta
Tartareę ſecreta domus, & ſæua nocentum
Supplicia, hic ſocias in ſontes vibrat echidnas
Teſiphone, & geminam demens implorat Erinnyn,
Hic qui Latonam voluit tentare proteruus
Terrigena, vltricem nutrit iecore vſq; volucrem
Fuſus humi Tityus, petulanti atq; improbus ore
Tantalus haud potis eſt liquidos contingere fontes,
Nec longa explere attiguo ieiunia victu,
Præcipitiq; rota phlegiæ proles maleſana
Voluitur Ixion nequam, & caſtigat inanem
Luxuriem, luctatur ſiſtere vertice ſaxum
Siſyphus, atq; viros prima quæ nocte necarunt
Belides incautos, ſitientes iugiter vrnas
Non ſaturare queunt, vano ſudantq; labore.
Si Aonij totas Heliconis ſuggerat vndas
Calliopea mihi, lycijſq; excitus ab oris
Latoides, nunq; numeris proferre valerem
Quæ vidi, luſtrans tacitus ſine luce profundi
Regna Dei, vacuoſq; lares, cecinere poetę
Vera ſacri, temere Samius mendacia retur
Stulta Sophus, vereor leges ne paſſus auernas
Quas non eſſe ſuo præcepit dogmate credi.

Sit Seneca, & latiæ clarum decus ipſe loquelę
Tullius. exangues animas atq; æthere caſſas
Pœnarum & ſileo facies, queſtuſq; nocentum,
Plectere & horrendum nunq; ceſſantia ſontes
Agmina tortorum, ſorte excruciantur acerba
Inceſtam experti Venerem, rituq; nefando
Qui auerſum explorare locum, qui recta monentes
Torſerunt leges, & rapto degere vitam
Qui ſolita, & caſtos macularunt labe hymenęos,
Quiq; ſuis manicas aptarunt ciuibus arctas,
Quos par eſt certa potius defendere morte.
At populi ante omnes cruciatu admiſſa rebelles
Deteriore luunt, auidis hos tartara damnis
Tota petunt, placet atq; nouas exquirere pœnas.
Tartareo dat iura foro, nec tangitur vllis
Fletibus, & didicit miſeris ignoſcere Minos
Manibus haud vnq;, verum æquo examine legum
Abſoluitq; bonos, idem damnatq; malignos.
Hos mox terna ſoror tortis crinita Ceraſtis
Nocte dieq; ferit, furuum vorat inde barathrum,
Hic vbi flamma ardens, algor manet atq; niualis,
Vt non Sarmatico ſit certe talis in orbe
Alpiniſq; iugis, necnon grauis halitus, omnis
Atq; mali facies, vigilat multare nocentes
Turba erebi detruſa polo, nullamq; quietem
Largitur. pœnis laxantur tartara nunq;,
Vndiq; verberibus reſonant, crebriſq; flagellis,
Fletus vbiq; ingens, altus gemituſq; dolentum eſt.
Hinc nemus Elyſium ſubeo, molleſq; receſſus,
Phœbo cũq; plagas, ibi diues floribus omnis

Ridet humus, riguo vernant & gramine colles.
Hic nutat ſemper iucundis fructibus arbos,
Hic ver perpetuum eſt, liquidum non aera nubes
Aeolię inuoluunt, non hac volitare deorum
Munere conceſſum eſt euro, Boreæq́; niuali,
Himbriferoq́; noto, Zephyro ſpirare relictum eſt
Molliter, & lem fœcundos reddere campos
Flamine, non pluuię fluitant, gelidiq́; liquores,
Non eſt damnoſę metuendus grandinis horror,
Non ignes Cœli, non tela triſulca tonantis,
Non Terræ ex imo venientes viſcere motus.
Sed pacata quies, & non fraudata voluptas
Regna tenet, cunctoq́; hilaris priuata dolore
Lętitia, & niuei ſemper mens conſcia honeſti.
Hinc abſunt furiæ, torua hinc procul aſtat erinnys,
Centauriq́; truces, vaſti corpuſq́; gigantis,
Atq; Cymęra, atq; Hydra ferox, auidæq́; volucres,
Et morbi peſteſq; graues, mœrorq́; moleſtus.
Labuntur leni prædulcis flumina curſu
Nectaris, a nullo tellus percuſſa ligone,
Omnia ſponte creat. dubijs prope paſſibus errans
Conſpicio innumeros per mollia gramina fuſos.
Hi volucre exerto iaculum vibrare lacerto
Gaudebant, alij infrenos domitare iugales
Seſſorem excutere infido vt dediſcere dorſo
Vellent, parentes ſtimulis grauibuſq; lupatis.
Cantibus indulgent alij, monimenta reuoluunt
Non multi, iuuat Aoniæ rurſumq́; vacare
Militiæ, & doctæ ſectari palladis artes.
Hic ſunt qui bellum pro libertate gerentes

Aſſeruere ſolum genitale,& vulnera iniquo
Sæua dedere duci,ſunt qui fudere cruorem,
Charos municipes,ęquum dominumq; tuentes,
Qui mores coluere pios,pacemq; deorum
Munus,Amicitię necnon bona fœdera rarę.
Et qui munifici meritis vinxere benignis
Rerum vulgus egens,lapſam gazisq; leuarunt
Pauperiem,nullo donati fęnore magni
Suntq; Sophi,naturam qui ingeniumq; ſequentes
Tempſerunt ſtolidę curas & gaudia plebis
Et præneſtinarum lubrica dona ſororum,
Sunt & Cęlicolum cultores,candida turba.
Quem prius haud noram placida pietate colendus
Ante oculos longęuus adeſt.& talibus orſus
Da mihi chare Nepos quid tartara dura ſubiſti
Nigranteſq; plagas,feralia tectaq; Ditis,
Tęnarij emenſus liuentia ſtagna fluenti?
Quin etiam elyſij potuiſti viſere amęna,
Lętas ſpirituum ſedes,& blanda piorum
Prata.Reor ſuperum conceſſum eſt numine diuum
Pallida reſpondi vmbrarum vt peterem loca,ſed tu
Fare age qua patria es quibus atq; parentibus ortus?
Riſit,idem gentile ſolum eſt,eademq; propago
Ambobus,ſtirpiſq; tenor;ſed aperta loquamur
Quo mage diffuſas vbi Iuno Lacinia terras
Explicat,hic mites tribuere alimenta parentes,
Hæc natalis humus,noſtro de ſanguine ductus
Ipſe genus,cerno inceſſum faciemq; decoram
Cęſariemq; patris,non & flectenda malignis.
Pectora conſilijs,nudos cordiſq; receſſus,

Et canos mores, genitor ſum matris honorę
Noſcis auum ſero maternum, fata dederunt
Inuida me haud tibi apud ſuperos. non plura locutus
Finijt. emittunt lachrymas mea lumina, auumq́
Amplecti cupiens dextram lęuamq́ tetendi
Non ſemel incaſſum. rurſum tamen incipit. vſq́
Aequus eram cunctis, abſq́ omni crimine vixi,
Idcirco has adij ſedes, ita pectore toto
Perge nepos odiſſe nefas, & laudis amare
Semina, Iuſtitiam in primis ſeruare decebit,
Infractamq́ fidem, Ciues iuguloq́ tueri,
Vſu pro patriæ medioq́ occurrere letho.
Poſt obitum huc aditus nulli niſi recta colenti
Nanq́ patere poteſt, iuuit quem ſpurca libido
Atq́ auri funeſtus amor, fraudeſq́ latentes,
Feraliſq́ lues animi, bona tollere furto,
Et ſimul humana infandum pingueſcere cęde,
Et maculare pium, lęthis his pellitur oris,
Pellitur, aſſiduis & laſſat Tartara pœnis.
Et phlegetonteo ſemper comburitur igni.
Virtutem ergo cole, autorumq́ volumina verſa,
Præcipueq́ ſacras leges, nam viribus vnus
Ingenij noſtram poteris decorare paternam
Atq́ domum, & geminæ nitidam dare lampada proli.
Haſq́ petes ſedes, poſtq̃ tibi fata ſupremum
Indixere diem, non in te Cerberus hydris
Sæuiet infenſis, temnes rigidumq́ tribunal.
Diſce mori dum vita manet, diſiungere diſce
Corpore longe animum doctorum more Sophorum.
Quamq́ ſit exiguus mortalis terminus æui,

Ad quid ſis ſatus, unde hominum deſcendat origo,
Altaq; quam brutis ratio præſtantior extet.
Aſpice quanta probos maneant poſt præmia mortem,
Non mutanda unquam, vidiſti quanta ſceleſtis
Impia damna paret tenebroſa in nocte Megæra.
Luxuriant animæ, gaudentq; his vallibus æquę,
Manes atque pij, magnos examine longo
Heroas ſpectare licet, quos Roma creauit
Conſpicuoſque viros, ex vno ſanguine natos
Tercentum ſpecta Fabios, quos bella gerendi
Ad cremeram deduxit amor, pugnaxq; cecidit
Inuicta Bellona manu, Mars atque cruentus.
Deuotos Decioſq;, hic eſt qui pectore forti
Deceptam Sacro dextram combuſſit in igni,
Præcipitem & qui ſe in vaſtos immiſit hiatus
Curtius, obſeſſum & ſolus defendere pontem
Qui potuit, Natum qui percuſſitq; ſecuri.
Quiq; exul Gallos vicit prædamq; Camillus
Obtinuit, tyriumq; mora qui luſit, & ære
Contentus modico Curius Lydoq; opulentus
Rege mage exiguo, pœno fiduſque bilingui.
Qui fuit amiſſi vindex acerq; pudoris.
Et ſat non unquam laudatus carmine proſper,
Ardua nixam alte qui fert ſuper aſtra columnam
Vergiliuſq; ſalus vrſinæ & gloriæ gentis.
Quis meminiſſe queat Latiæ telluris alumnos,
Externoſque duces, bello ne toga ne potentes?
Tunc ego perq; tuos manes, lucoſque beatos
Elyſij dominę & genium, fratrumq; ſalutem,
Perq; pudicitiam geminę decus atque ſororis,

Carorumq; caput venturaq; fata parentum
Iuro, forte patri poſſim ne dicer æquo
Diſſimilis,laudiq; tuæ ne degener extem,
Fortior annitar poſt hac pro parte virili
Quod decet amplecti,colere & ſacraria phębi,
Ius patriæ dominumq; meum vel morte tuebor.
Sed quis qui ingenti cętu longaq; corona
Ille virum ſolio fulctus circundatus extat,
Heroaſq; excellitę ſidera dixit olympi
Cuncta premit veluti Titanis,ſic mage cunctis
Inclytus ille animis, atq; omni laude decorus
Eminet,hic eſt qui ſupera dum veſcitur aura,
Viua fuit clarę dictus virtutis imago.
Vſq;adeo dux quem dilexit bethycus,illi
Vt multam in calabris dederit famularier vrbem.
Conſilio frętus valido permiſit abunde
Ipſius vtq; vicem gereret,clauumq; teneret
Parthenopes,domitos longe celtaſq; fugaret.
Vltima quę Heſperia,& ſimul Auſonis ora colebat.
Carrafa de ſtirpe ſatum,qui nomine dictus
Andreas,proauis atauiſq; inſignior acri
Ingenio,& fidei candore,& robore cordis,
Rerum vſu,atq; actis ſublimi principe dignis.
Aeui defunctum numeris vbi ſæua peremit
Atropos hunc, pullo velamine Cæſar amictus
Et proceres longo luxerunt ordine Iberi.
Iuſtitiumq; foro,lachrymauit triſte ſenatus,
Atq; adoperta caput ferali Curia palla
Ingemuit, cuncti ciues matreſq;, patreſq;,
Quem ſat difficili ſuſpirant tempore raptum.

Qui tantum extabat reliquos hunc eſſe vbi ſenſi
Luculli leni hæredem grauitate verendum.
Sæcula cui ſimilem generarunt nulla, tulerunt
Vel quum ſcipiadas fortes, rigidoſq; Catones.
Cernere ſit mihi fas propius, voceſq; tenere,!
Cui legum ſeries, & rarum debet honeſtum,
Aio viri, vix hæc. modicum progreſſus, vbiq;
Semper auo mecum, genibus ter rite reflexis
Protinus ętherеum ſupplex ceu numen adoro.
Veniſti optato puer optime fatur, amato
Cui propere mandata darem referenda Nepoti.
Extimulant ægrę trepidantia pectora curæ,
Vſq; ſedet meditans, vrbem expugnare ſuperbam
Quo queat ingenio, & ciues domitare rebelles.
Vade age, ſolantiq; animum ſermone remitte,
Reddeq; dicta, abigat curas, ponatq; timorem,
Non opus aerios Balliſta infringere muros,
Vrbs ſibi reddetur citra lymphata repulſam.
Armatas acies quæ circum mœnia tendunt,
Mittat, linquatur vallum emeritiſq; maniplis.
Non placet vt tenuet fortunas, nam ſine ſumptu
Quamprimum hoſtilis potietur mœnibus vrbis.
Non populi eſt error, quatit vndiq; dira cerebrum
Cęruleo Alecto fœcunda in bella colubro.
Hæc faciem recti monſtrat, ſeu cernere ferro
Siue velit fatua dominos inceſſere lingua.
Ciuibus hæc ſuperæ rationis ſuſtulit altum
Imperium, & laxas irę conceſſit habenas.
Pars victa eſt potior, dominatur ſtulta voluptas
Senſibus, & tota fluitant mala gaudia mente.

Numinis aſt vbi vi vtilioris pulſa ſubibit
Cęcum erebum, & tandem maleſidam deſeret vrbem.
Incipient ſapere, & noxæ ſceleriſq; nefandi
Pœnituiſſe, volent infectum iuſſerit eſſe
Quod rabies animi, libertatiſq; libido
Illicitę, moneo inſtas tum mitiget iras,
Admittat voceſq; humiles, & verba precantum
Suppliciter, pronis ignoſcat crimina, nulli
Conatus abſcidat crudeli colla ſecuri,
Et nulli tenſa conſtringat Canabe guttur.
Non peccant Superi, recto diſcedere calle
Humanum eſt, ſemper torquet non Iuppiter arma,
Indigno eſt quoties ſibi numen crimine lęſum.
Sæpius eſt tonitru mentes contentus inani
Concutere, & poſito ſcit parcere fulminis igni.
Haud merito dici pietas ſit cui male nota
Rex potis eſt, nil æque atq; inclementia Regem
Dedecet, & rapidos vindicta expleſſe furores.
Admiſſum vellent ſi irati plectere Reges
Omne, velut fieri edicunt ſacra ſcita lycurgi.
Aſpiceres vacuas ſublatis ciuibus vrbes,
Atq; agros horrere ſitu, nec cęrula findi.
Iulius ante oculos ſit Cæſar, ſæpe pepercit
Qui ſceleri, cuius niſi nil e mente fluebant
Probra, eſt principis inuicti ſedare procellas
Irarum, incertoſq; animi componere motus.
Conniuere interdum, luſco & lumine multa
Tranſiluiſſe, ille eſt qui viribus omnia vincit,
Qui morbos mentem vexantes ſub iuga mittit.
Hi ſunt inſignes currus, longiq; triumphi.

Hæc profligatis meliora trophæaq́; Turcis.
Det veniam ergo Nepos grauia atq; errata relaxet,
Et veniat primis Galeotus lenior auſis
At ſi poſtq̃ eſt indultum, quid tale patrabunt,
Tum iubeo vltrices immitis ſuſcitet iras.
Ad cunctos vnum rigido tum porrigat enſe,
Infami pereant leto, ſine honore Sepulchri
Viſcera ieiunis canibus rapienda relinquat,
Vulturibuſq́; impaſtis, & voret ipſe lycaon
Ore auido, & turpis vicini belua ponti.
Sitq; omnis pietas procul, & clementia, noſcant
Fedum iteraſſe ſcelus, graue q̃ ſit, quámq; nefendum.
Sit monuiſſe ſatis deceat quo tendere paſſu
Vrbe ſuper, vetitis quæ pugnat turpiter armis.
Regis in alpini tenus hac & ſigna tuetur.
Nunc mando toto ſtudio noctuq; diuq;
Filiolum volui quem dicere nomine noſtro
Erudiat, monſtretq; viam, qua gloria aditur
Inclyta. biſſenos iuueni felicia faſces
Fata dabunt, orbe exuuijs ornatus opimis
Gætulo, & veniet gazis opulentis beois.
Conſpicuo trabeas, pulchri pompaſq; triumphi.
Hic cunctis præſtabit auis, & lumine morum
Perſtringet noſtrum decus, indole Romula tali
Mœnia viderunt nullum de prole Nepotum.
Tollet ad hic animi ſublimia nomina olympi
Dotibus, inuidia & Romæ præcordia tunget,
Altero & Andrea audebit contendere ſecum
Parthenope, palmamq; feret, quo arcana recludam,
Ex hoc qui imperio teneant, magnamq́; gubernent

Heſperiam æquo iure viri naſcentur, & armis,
Vſq; adeo egregij tribuant vt vatibus amplam
Materiem innumeras referendi carmine laudes,
Vt geminus vertex parnaſſius, & ſacer amnis
Grande ſonet Carrafæ nobilitatis honores.
Præterea optarim miti ſuaſiſſe nepoti
Vt iuuenem occultas animi committere curas
Cui libitum, atq; aulam cunctis præponere noſtram
Qui coluere acaitis longo ex orbe miniſtris,
Semper amet, donis & ſemper muneret amplis.
Sancta fides poſcit, qua præditus ille, meretur
Sedulitas, crebris & ſobria pectora curis,
Aſſiduusq; labor, rebus ſtudiumq; gerendis.
Ille eſt eximia Magnus virtute ſuperbus
Patricijs generatus auis, qui pallade multa
Fulctum habet ingenium, qui linguę clarus honore
Agreſtes nulla vitam ratione colentes
Ad ius & fas alliceret, rectumq;, piumq;.
Caucaſeas damis poſſet componere Tigres,
Maſſylos pauidis idem Ceruiſq; Leones.
Et quæ deficit nulliſq; acquiritur armis
Nectarea vnius valuiſſet perfida Magni
Gens mentem mutare ſuam permulſa loquela.
Quom foret hæc patruus generoſus verba profatus
Deſeruit ſubito ſopor, & me ſantis imago.
Sollicitę immunis curæ duriq; laboris,
Viue hilaris phrygij longam pylijq; ſenectam
Ductoris, ſemperq; tuis adiungere poſſis
Imperijs ſuperum felici munere fidas
Conſilio, validas armis Mauortis & vrbes,

Ardua purpurei vt teneas faſtigia Regis
Vtq; coronetur ſacro Diademate vertex.
Exigit id probitas etenim, pietaſq; benigna,
Atq; æquum, mallent Senones tibi viuere, genſq;
Subdita Belgarum, q̃ qui nunc flectit habenas.
Nec ceſſes patriæ natos generare cupitos,
Qui odryſium celebrent Martem, qui fœdera legum
Obſeruent, doceantq; ſuos ſeruare nepotes.
Terq; quaterq; queant ebur aſcendiſſe curule,
Ob Turcamq; ferum, Maurum quoq; Marte ſubactum
Sæpius & longos capitolia ad alta triumphos
Ducere, phœbea redimiti tempora lauro.
Tandem æquo ſpectes tibi fidos lumine ſemper
Municipes, & qui te ingenti amplector amore
Theſea (ni tędet) memori rogo corde retenta.
Sic Bellona tuis ſit præſens fortior auſis.

Ad Aureliam Caſoperam Sororem.

APtior es molles amplecti Aurelia luſus,
Et formæ nutrire decus, q̃ vota preceſq;
Fundere, ſupplicijs aures laſſareq; Diuum.
Longęuę peragant crebro ieiunia, iniqui
Diſcernant faciemq; boni, tu laxior omni
Pondere mentis eas, triſteſq; relinquere curas,
Atq; arctis debes nunq̃ diffidere rebus.
Dum tibi tempus adeſt iuuenile, incommoda mœſto
Cuncta animo antiquę mordentia pelle ſenectę.
Muneribus Bacchi indulge, ceſſante Minerua.
Totos lude dies, & collige præmia veris,

Si ſapis, & tetricas moneo aſpernere Sabinas.
Gaudia læta fluunt, veniuntq; pericula, morbi,
Ante expectatum, ſæuoq; aſperrima telo
Ingruit, aut tacite Mors inſidiatur ouanti.

Ferdinando Spinello Caſtriuillarum
Duci S. P. D.

QVm te Ferdinande Dux Illuſtriſſime colerem, tum quia iuſtiſſimus idemq; es munificentiſſimus Princeps, tum quia rempublicam noſtram atq; priuatam iãdiu tuendam ſuſceperis, ita vt tui vnius auxilio hoſtili præſertim manu ſuperioribus bellis prouinciam peruaſtante, centies periculum euaſerimus, deſtinaui obſeruantiam in te meam ſenariolis patefacere. Siquidem noui quantopere carminibus delecteris, quippe qui ſummo ſtudio literas didiciſti, ſummaq; felicitate totam eruditionem complexus es, vt inter literatos humaniſſimus doctiſſimuſq; calculis omniũ facile ſis declarandus. Proinde ſicuti ſeruuli deditiſſimi munuſculum ſoles, placidus ſenariolos noſtros admitte, in quibus ſi quid inertię deprehendes, ſcio enim ad poematis abſolutionem ſatis multa abs te poſſe deſiderari, facilitate tua æquiſſime princeps indulgenter condonabis, meq; amplitudinis tuæ ſtudioſiſſimum clientulum diligito, atq; defendito. Vale ter felix Pſychro quinto nonas Maij. M. D. XXXII.

EX alto ſpectans hilaris mortalia Cælo
Nubila diſpulerat tumidum & pacauerat æquor,
Qum ſua luſtraſſetq; oculis cunabula creten
Et phrygios tractus, & Graias Iuppiter vrbes,

Biſtonioſq; ſinus, reddentes carmina magni
Orpheos, Aeneadum emathiæ ferali clade
Et loca, Niliaco memphitica gurgite rura.
Lętaq;, & aſſyriam mittes quæ gignit odores,
Aethiopum Indorumq; ſolum, quos feruida cœli
Vis cremat, & propiore facit nigreſcere phœbo,
Et Lybien ſitientem, Sicaniamq́; feracem,
Et latam Heſperiæ regionem auriq; virumq́;.
Bello expertorum genitricem, cui bona Cœli
Temperies, morbos leniſq; fauonius arcet.
Hinc fęcunda opibus diuiſq; intenta colendis
Intuitum patris ætherei dilecta moratur
Gallia, & aſſiduis aſſueta Alemania bellis,
Pannonia atq; Iſtro circundata, Martia virtus
Eſt cui Turcaica largita e prole triumphos.
Et toties populis obſeſſa liguſtica tellus
Barbaricis, totieſq; illis crudele Sepulchrum.
Inde in victrices direxit lumina terras,
Et poſſeſſa lupa nutrito regna Quirino,
Campanaſq; oras, vbi Syren blanda canoro
Sæpius incautos decepit carmine nautas.
Eſt hic Sebethoſq́; pater, ſecreta Sibyllę
Antraq; fatidicę, petijt quæ Troius heros.
Balnea Baiarum ęgrotis celebrataq;, quondam
Eructanſq́; ignes ad ſidera veſuius alta.
Euboico Vrbs vbi pulchra ſedet fundata Colono,
Olim Parthenopen dixere, Neapolim at nunc
Appellant, ęquata ſolo q; condita rurſum.
Lętior hæc alti dominus conſpexit Olympi
Męnia, commendat plateas, opulentaq́; templa,

Tergeminamq́; arcem, placidi molemq́ profundi,
Patricijſq́; dicata ſedilia laudat abunde,
Aeriaſq́; domos, & tecta minantia Cęlo,
Ornatuſq́ habituſq́; hominum, ſobolemq́; modeſtam,
Grandia ſectantem propius veſtigia patrum.
Et decora, ingenteſq́; actus, laudeſq́ verendas
Talibus affatur ſublimem & vocibus vrbem.
Sit ſemper pax alma tibi ſit copia frugum
Parthenope, te flaua Ceres, & opimet Iacchus
Laxius, & ſolito redeat felicior annus.
Nullaq́ te lędant contagia. purior aer
Atq́; ſalutiferum ſpirent tibi flamina, nunq́
Sollicitum incutiant & bella moleſta timorem.
Purpurei vſq́ colant dum Cęlo ſidera, Reges,
Eximijq́; duces, tibi Trinacris ora laboret,
Et pendat diues numeroſos Daunia cenſus.
Et Numidæ, & felix aſſurgat Græcia, & omnis
Occiduum & tellus quæ ſolem cernit heoum.
Tu tantum mandata Iouis ſeruare memento,
Quæ tibi non vitulos aris mactare nitentes
Non dare thura focis, non ſoluere vota quotannis
Præcipiunt, non ſacram ędem ſpolia atq́; dicare.
Scilicet id iubeo, ſit magnæ ſit tibi curæ
Cęleſtum dignus meus vt ſeruandus amore,
Quo Spinella domus, necnon materna tumeſcit.
Ante alios proceres hunc dilige, ſedula miti
Atq́; foue gremio, nam nec Celana iuuentus
Nec coſſi tantum te exornauere quirites,
Cętera Nobiliumq́; manus, ſtat tollere quo non
Eualuit Baptiſta parens aſcendere, quãuis

Hiſpani propior foret indulgentia Regis.
Iuuerit & meritis Heros Aragonius amplis.
Qui nunc Cœleſti fruitur dulcedine, & æqui
Accipit atq; pij cunctis viuentia ſæclis
Præmia, longinqui moderabitur orbis habenas
Iſte meus, (video) regali auctatus honore.
Tot non contentus titulis q; Marchio, Duxq;,
Atq;, Comes, magni pateant arcanaq; Regni,
Me duce tentabit pulchrum decus addere auitis
Nominibus, potiore parans ſplendeſcere laude
Et faciet, nam fata diu ſtatuere benigna.
Id fore ſidereo manet haud variabile Cœlo,
Quin formoſa ſibi Coniux de prole ſuperba
Natum edet tanto dotata Iſabella marito,
Certe Iſabella inter caſtas numeranda Sabinas.
Integro poſtq; iuuenis lętabitur æuo.
Huic ſceptrum Imperiale dabo, mirabitur omnis
Auſonia, & tellus quam diuidit Apenninus,
Quâq; Tagus duriuſq; rigat pugnacis amabit
Fortia facta viri, tantumq; operabitur antris
Pierijs, vt nec tantos Iouianus honores
Ceperit, ore melos quâuis vocale ſonarit.
Et vario pollens ſyncerus acumine mentis.
At bonus ille puer quem terris ſidere fauſto
Dia parens aquiuiua dedit, quæ funere acerbo
Rapta colit magni ſuprema palatia Cœli.
Ogygios phrygioſq; duces, iuuenemq; ſuperbum
Emathiæ, prolemq; pij ſuperabit Iuli
Belli laude, atq; hunc cuſtodi ſemper alumnum,
Nato operamq; parem, parilemq; impende parenti.

Parthenope, iuſſoꝗ; hæc tandem & ſumma meoꝗ; eſt.
Talia fata ſilet melior Saturnia proles,
Atq; pererratis aciem in ſublima terris
Tollit, & ætherni lętatur luminis aura.
Quæ decus Aonidum pulcher narrauit Apollo
Fata mihi, monuitq; omnem tibi pandere cauſam,
Quo lęto ſperes ingentes corde triumphos.

Galeoto Carrafæ Sanctæ Seuerinæ Comiti. S. P. D.

NOn potui non dolere Princeps optime immaturum, interitum Pyrrhi Antonij Carrafæ polycaſtrenſis Comitis conſanguinei tui, quia te dolere ſentiebam. Itaq; vicem eius acerbam carminibus conqueſtus ſum, tibiq; inter neceſſarios omnis (puerulos liberos excipio) quotquot ſunt coniunctiſſimo dicare volui, nec alius occurrerat, cui potterant decentius nuncupari. Tu igitur qui adhuc (vt audio) dolere perſeueras, vt a dolente compoſitum carmen ęquiconſule. Pſychro Sexto Calendas Iulij. M. D. XXXIII.

Parthenopen alloquitur.

QVid gemitus, quid crebra volunt ſuſpiria? larg.
Quid fletus? cano fœdati & puluere crines?
Lugubris atq; habitus? iugeſq; in pectore planctus?
Fare age dum Latijs antiquior vrbibus vna
Parthenope? tumulata dedit cui nomina Syren,
Fare age? ne pigeat tantos aperire dolores.
Pande mali ſeriem, forſan mea pectora tanget
Iſte dolor, noſcam ſicco nec lumine caſus.

Num te communis clades num plurimus angit
Chriſtigenum de ſtirpe cruor? quem Turcicus enſis
Fudit, pannonicas labefactans funere turmas?
An tuus ancipiti bellum diſcrimine Cęſar
Schiſmatica cum gente gerit, dum pellere tentat
Anxius immanem germanis ſedibus hoſtem?
Quæ ſuperi lugenda parant? num peſtis & ignes
Iapeti miſeros venient abolere nepotes,
Humanumq; genus? Diuum tu nanq; paratus
Nouiſti, æthereis agitata penatibus orſa
Cuncta patent, Genio extemplo referente fideli.
Irritus hic metus eſt, nulla ales, nulla minantur.
Exta necem, minime rubuit ferale cometes
Terrificum ſidus, nocui nil cernitur aſtris,
Vnde homines capiunt venturi ſigna laboris.
An veteres recolens cędes, & vulnera triſtis
Ingemis, antiquos iterumq; reſumere queſtus
Te iuuat, abſumptos & adhuc miſeraris alumnos
Quos prope cęnoſam ſtrauerunt gęſa Rauenam?
Et quos vndanti Ticini vortice fluctus
Exanimes in vaſtum æquor tulit? omnia quæſo
Heroum genitrix pia tot meminiſſe recuſa
Elapſę debent e pectore cedere curæ.
Quos potes amplecti non deſunt, gaudia durant
Et tua adhuc, claros monſtrare eſt copia ciues
Vndiq; pacata populos ditione tenentes
Auſonios, ſi pugnæ auida es, ſi prœlia poſcis,
Mille aderunt nati generoſo ſanguine, ferro
Accincti, potes his tractantibus arma Gradiui,
Proterere hoſtiles cuneos, atq; agmina late

Sternere. victrices turrito vertice lauri
Serta gerens pulchro ſuper aſpicienda triumpho.
Ocia ſi quæres, & viuere legibus optas,
Sunt qui ſancta colunt ſedatę fœdera pacis.
Qui explicuiſſe valent fœcundi iura Trebati
Abdita, pragmaticis tua Curia plena, forumq́,
Hic vbi totius ſoluuntur iurgia Regni.
Tot nunq̃ tellus habuit Romana peritos
Iure viros, vrbs atq́a aut fęcunda ſophorum.
Non nota Aeneadis quãuis primordia legum
Miſiſſet, rari felicia dogmata & æqui.
Ergo armis vna atq́ toga præſtantior, omnes
Vna omnes poſt te longe quæ liqueris vrbes,
Qua iubar educit Phœbus, qua lumina condit,
Mitte graues gemitus, triſtes depone querelas,
Parce precor lachrymis, veſtes pone ocyus atras.
Quin lętare hilaris, venit ecce Capicia proles
Scipiades. ſapienſq́ parens Antonius, æuo
Vincere dignus auos, & vincere Neſtoris annos.
Atq́ aquiniui primates, ſatis artibus apti
Palladis, & colere aſſueti fera prelia Martis.
Hinc Caietani Boreali vertice ſicut
Męnalis vrſa Duces fulgent, mixamq́ ſuperbis
Maiorum titulis ſpinellam amplectere pubem.
Tranſeo Aquinates diuum genus armipotentes.
Totq́; viros, altum quorũ ęthera nomine tangis.
Sed nil hi moueant proceres, Carrafia ſaltem
Te ſoboles, cunctis longe ſublimior (auſim
Dicere vera canens) auguſtior, amplior, atq́
Diuitijs armiſq́ potentior, vnde trecenti

Heroes magnis dominantes vrbibus orti.
Horum ope ſecura, atq; horum illuſtrata nitore
Gaudere, & priſcis potis es tua ſoluere curis
Corda. dedit gemitus grauiores pectore ab imo
Sæuius & viſa eſt laceros tum vellere crines,
Vociferans, ne perge vltra memorare Nepotes
Carrafos, hinc pulla gero velamina, multum
Hinc queror, & crebris ſingultibus aſtra fatigo.
Confoſſus iacet heu iuuenis crudeliter, omnes
Auguſto ante duces Diuo gratiſſimus, hic me
Conficit moriens afflictam vulnere triſti.
Abſtulit hic penitus ſi quæ mihi proſpera pectus
Sollicitum curis tot pertentare valebant.
Si quid & extincto dulce atq; iuuabile manſit
Andrea, inſignes etiam nunc dura quirites
Cuius fata dolent, hoſtes lętantur ademptum.
Hic Pyrrhus meus eſt Antonius, Inclytus armis,
Qui flere & veteres cogit renouare dolores
Te exitiale gemo, te vulſis męſta capillis
Stirpitus, & clamo ſæuis vlulatibus amens.
Tu meus es, te triſtis, inops, miſerabilis omni.
Auxilio & decorum titulis viduata requiro.
Vnum te cupio, tu felix ætheris arce
Humanę rides gentis ludibria, forſan
Flere vetas, męſta lamentaq; percipis aure.
Sidereo licet obtundas iratus ab axe
Ne me Parthenope luge amplius. an mea reris
Fata dolenda tibi, cęleſti ſi fruor aura,
Si fouet in ſuperum conſeſſu Iuppiter, & me
Cęlite lętatur ſublmior aula recenti?

Deflebo vſq; tamen proprios miſerata labores.
Atq; tui deſiderio cui ſæpe grauato
Oſcula figebam nocturno dulcia ſomno.
Diſperijt nitor ille tuus, frontiſq; ſerenę
Maieſtas, viridis decus & cęleſte iuuentę.
Diuinum atq; color radiantis candidus oris
Purpurei, forma minus aſpiciendus honora
Parthenopeus erat, veneri & dilectus Adonis.
Atq; omnes facie quos eſt mirata vetuſtas
Pręſtanti, & quos poſteritas mirabitur olim.
Muneribus minime fidendum eſt ocupo formę
Quæ flos ceu calido ſolis comburitur æſtu,
Sit ſenio & forſan morbi interitura tumultu.
Vera ait effaris, ſed quod ſibi robur in armis
Et valido immenſę pepererunt corpore vires.
Magnanimuſq; vigor, ſuperabit ſęcula nomen.
Proh dolor, armatum qum contra tenderet hoſtem
Quantus erat, turmas qua nouerat arte ferire.
Turbine quo ingentem ſęuus contorſerat haſtam.
Fulmineumq; enſem quo feruidus impete morit.
Quis non terga daret miles? quis ſtrenuus hoſtis
Non ſibi ceſſiſſet? ſolus tota agmina fudit,
Strauit & innumeras acies, & mille cohortes
Fatifero inuictus gladio. ſcit Gallica pubes
Quantum animis potuit, validis quantumq; lacertis,
Qum prope Ticinum iunxerunt vndiq; vires
Diſcordes Celtę hinc, atq; inde Hiſpana iuuentus.
Hic ſuper acer equo pedes & fortiſſimus idem,
Sæpe eſt tutatus mea nudo viſcera ferro
Pene puer, charos defendens pectore ciues

Oppoſito, hinc toties meruit ſua tempora quercu
Ornare, & perferre domum ſpolia ampla fugatis
Hoſtibus, hoc poteram felicior ire Quirini
Vrbe, etenim nunq̃ tot vicit prœlia Cęſar,
Imperium quãuis domiti ſuſceperit orbis.
Nec qui poſſe acrem docuit ſuperarier afrum
Marcellus, nec qui dubio diſcrimine patrem
Scipio ſeruauit, tandem & Carthaginis vrbem
Euertit, clarumq; tulit per ſęcula nomen.
Illius auxilio longinqua laceſſere Regna
Carolus audebat, populiſq; imponere leges
Belligeris, vaſtas Turcarum & frangere vires,
Imperiumq; ſuum plus vltra extendere Calpen
Herculeam, ignotis ſua figere ſignaq; terris.
Omnes heu charites perierunt corpore in vno
O ſuperi, & dignæ ſimul excellentia formæ,
Inclyta patriciæ tumulata eſt gloria gentis,
Militiæ omnis honos, longiq; peritia belli.
Tam bene non vllus norat quo martia caſtra
Conſtituenda loco, qum tendi cornua oportet,
Atq; fouere moram, & trepidum ſimulare timorem,
Et cũ laude fugam, ſubitamq; capeſſere pugnam,
Fare age dum incipio quis vitæ finis, & æui
Meta fuit? raptus lęti quo turbine? cui nam
Et pulchro & forti licuit de principe tantum?
Pandam infit rerum ſeriem. qum Cancer adurit
Flauentes ſegetes, faciem & telluris hiulcat.
Pompeius ſolidæ columen decus atq; columnæ
Cardineo primus ſpectandus in ordine, fidus
Necnon Cęſarei ſocius rectorq; Senatus,

Oda agens, veteri ſolitus ſua ſoluere Baccho
Corda, alacri procerum ſtipatus mœnia lętus
Deſeruit gelidis æſtiuaturus in aruis.
Sunt vbi regali palatia condita ſumptu.
Venerat inuicto comes huc Antonius enſe
Cinctus, æquo ante alios proceres formoſus in acri,
Aurato indutus velamine forſan ita ibat
Caſtor tænariæ ſpacians per rura terapnes.
Hic genio indultum eſt, hic blandos carpere luſus,
Et feſtas iterare dapes, & mollia vina.
Tandem abiere Duces, & dicta rite ſalute
Pompeio, ipſe tribus famulis comitantibus Heros
Nil damni metuens ſubit vrbis limina lętus,
Quadrupediſq; armos ſtimulis ferit incitus, atq;
Nunc agit in dextram, nunc ſiſtit, verberat, vrget,
Atq; iterum cohibet, nonnunq; vertit in orbes
Dimidios, demum laxas conceſſit habenas.
Fertur equus pernix, curſus glomeratq; citatos.
Terrificum intonuiſſe putes qum tela Cyclopum
Iuppiter inq; vrbes & nautica mittere tranſtra
Apparat. e veteris ſpeculabar vertice caſtri.
Lętitię tacito ſaliebant pectora motu,
Orabamq; humilis ſuperum pia numina, longum
Maioris viuat donatus honore triumphi.
Qum Martem cęlſo delapſum ex ęthere vidi
Sanguineo enſe trucem, & galeatam pallada, ſæuum
Clamantem, quæ tanta mora eſt quin protinus arma
Stringimus, & diro mactamus funere Mauors
Belliger hunc calabris iuuenem qui præſidet oris,
Qua mare Tyrrhenum ſpumantibus æſtuat vndis?

Ni ſapis, armorum nobis decora omnia tollet
Strenuitate ſua, par eſt num cedere diuos
Actibus humanis? quæ nos vecordia ſegnes
Debilitat? timidi cur nam torpemus? & audes
Quotquot habet ſuperos cœli aula in bella vocare
Sæpe viuis, cecidere animi, tuus ille repente
Quo vigor inſueto ceſſit graſſante timore?
Num te forma mouet? faciem temerare decoram
Quis dolor eſt? inuade alacer, cunctaris, & hæres?
Quæ pietas? reſidem potius te tangat honoris
Cura tui, humana perdendaq; nomina dextra.
Aſpice ceu toruus terris minitetur, & orbis
Non capiat, ſpectetq; poli ſupera alta feroci
Lumine, ſidereę moturus prœlia Sedi
Forſitan & diuos deturbaturus olympo.
Aſpice quis agitet ſpumantem motibus audens
Cornipedem, & magno nutet ſub pondere tellus,
Quinetiam ruat, & tremefactus vt arduus ęther.
Hæc tumido ore tonans tritonide nata palude,
Mauorti penitus furiales mouerat iras.
Vnanimi inq; necem conſpirant pectore, iam iam
Concurrunt paribuſq; odijs, caput & petit vnum
Sæuus vterq; Deus. Phœbi clariſſima, lampas
Interea occiderat, dubiamq; crepuſcula lucem
Monſtrabant, poteratq; dies, nox atq; videri
Qum iuuenis rerum ignarus fatiq; maligni
Securus, reditus in tecta parabat auita.
Ecce vias hoſtes clauſerunt, qua ſibi tutum
Credit iter, claræ ſacram prope virginis ędem.
Arma Arma horribili ore ſonant. Dea gorgona nudat,

Et prior Heroem immanem contorſit in haſtam,
Nec cætra, nec loricæ, nec Caſſide tectum:
Irrita miſſa fuit, muroq́; impacta propinquo eſt.
Præcipiti ille iræ accenſus, calidusq; furore,
Neſcius vnde forent truculentę exordia pugnę,
Quem inſana inſtiget rabies, miratur, & altum
Vociferat, quæ tanta regit dementia? meme
Audes nocte, dolo, tacitoq́; inuadere ferro
Prædo, vilis, iners, graſſator, proditor, amens?
Eualeat quantum noſces mea dextera, quantum
Noſtris propitio Mars ſidere contulit armis:
Quis quis es, haud mecum infenſas lętabere ſaxo
Conſeruiſſe manus, iādudum ceperat enſem
Turbidus, & durum miſcet cū Pallade bellum.
Nunc punctim ferit, & nunc cæſim, nunc caput ambit
Sandere, nunc crudam geminatis ęgida tundit
Ictibus, atq́; fremit nullos vidiſſe cruores,
Quum decies ſæua pulſaſſet cuſpide pectus.
Ignauumq́; vocat ſe met, ſegnemq́; frequenter,
Arguit, inuehitur, furit, inſtrepit, arduus altos
Se erigit inq́; pedes, melior pugnamq́; laceſſit,
Poſſe ratus tardum tum tum finire duellum,
Percuſſit gladioq́; latus maioribus vſus
Viribus, hic chalibis tentus non obijcæ, tranſit
Viſcera, diuini torrentem & ſanguinis hauſit.
Et forſan mœſtam pariter cū ſanguine vitam
Fudiſſet, ni ferret opem indulgentia fati.
Non potuiſſe mori, & ſors Diuum ætherna fuiſſet.
Apta minus viſa eſt pugnandi bellica pallas,
Atq; minus fortis, victoria lumine lęto

Inuita eſt iuuenem,partes defendit & æquas.
Atq; fouens niueis plauſit mortalia pennis.
At non vlterius Mars impia diſtulit arma,
Q um ſat inęquali congreſſam robore noſſet,
Emicat extemplo.furibundus & eripit enſem,
Exclamans,citius citius moriere,Superbus
Tu ne ille,atq; ferox,qui vincas cuncta? dolebis
Aethereas tentaſſe manus,magnoq; furentem
Certe emptum cupies nunq; vidiſſe gradiuum.
Num gaudes ferro caſtam violaſſe Mineruam?
Belligera & plus poſſe Dea? verum improbe pœnas.
Comminus accedens quæ nam quæ cauſſa quietos
Cęlicolas irritat? ait generoſus alumnus,
Auſus quid temere? quid in aſpera numina demens
Commiſi? merui quo tantos crimine motus
Nocte pati? offendi qua forſan ſidera noxa?
Q uid potui in ſuperos æger mortalis? opacos
Non non tanta agitat fateor diſcordia manes.
Si ſemper colui ſupplex,ſi prœlia nunq;
Hoſtibus indixi,quin pinguia rite dicarem
Sacra prius gradiue tuis altaribus,vſq;
Cornipetam afficiens crudeli vulnere Taurum,
Q uæ noſtri inuidia impellit? quis & æmulus ardor?
Tanti equidem non ſum,vt diuos liueſcere cogam.
Pacata eſſe ſolent,tranquillaq; cuncta penes quos.
Vnde vnde inceſſit me perdere tanta libido?
At ſi mi tandem cœlum bellare neceſſe eſt,
Cur comitem tecum iunxiſti pallada? Cur tu
Opprimis incautum nudum Tritonia Martis
Fiſa opes? ſin ſint dira vni modo prœlia mecum,

Alter & odia agat, vel tu procede gradiue
Vel tu pallas ini certamina, turpe nefaſq;
Niti ambos vnum ferro proſternere corpus.
Si moriar, telo armiſoni periiſſe iuuabit
Numinis, euentu lętabor & vſq; ſecundo
Contra homines pugnaſſe, Deis contendere fato
Non mihi conceſſum. tu vertice nata tonantis
Ne querere, atq; ignoſce rogo, ſi dextera lęſit
Noſtra latus, non vltro auſus, non improbus vn ꝑ
Diuini appetij fędari labe cruoris.
Propulſare licet vim vi, defendere corpus
Faſq; piumq; ſinit, rigidę nec noſcere curant
Leges, primęuo naturæ & iure receptum eſt
Perniciem vt vites, cuiq; dare vulnera, cędem.
Talia dum loquitur, Pallaſq; Deuſq; quieſcunt
Threicius, paulum & torquere haſtilia ceſſant.
Deniq; Mars iterum non grata ſilentia rupit.
Cur gemina peteris ne quæras cuſpide, certę
Hoſtem trade neci cautus virtute, dolo ue.
Curet dum vincas ignarum cętera vulgus.
Iniuſto & laudem bellandi examine pendat.
Id pugnæ fœdus, ſic certum. voluere fata
Hanc ſeriem, id tetricę manſuro ſtamine parcę
Sanxerunt, terras habitet ne cęlite maior
Quiſquis. inſane putas te viuo viuere poſſe
Martem hilarem, & triſtes mihi non ſuccreſcere fibras?
Qum prope diſcrimen pollentia noſtra laboret.
Præterea ſuperum ſcio formidare ſenatum,
Quidnam mente agites, tacito quid pectore magnus
Concipias, nec forte animi nec robora deerunt.

Hæc dicens, gladio incurſat toruuſq́, minaxq́,
Hortaturq́ Deam, ſocijs vt viribus illum
Ocyus extinguant, ſubit hinc Mars efferus enſe,
Palladi & hinc ingens vibratur fraxinus, Heros
Quam mira euaſit pugnandi Antonius arte.
Pulchrum erat & mœſtum ſpectare, vt robore, & aſtu
Ingenij, atq; animis violentior inter vtrumq́
Dimicet, & qua dexteritate repelleret ictus
Aſſiduos, qualis qum aduerſo feruidus axe
Strimonio boreę Notus obluctatur, & euro,
Inq́ vicem fluctus tollunt, vaſtaſq́ procellas,
Turbinibus fratrum & geminorum ſufficit vnus,
Sed dextram Martis tandem fortuna ſecuta eſt,
Nam dum inhiat pulſare caput, quaſſare cerebrum,
Ferri acies dextro cecidit ſuper acta lacerto.
Indignam & fecit plagam imis oſſibus hęrens.
Non impune tamen, nam poſtq́ vulnere vidit
Se affectum, iuſtos ardens dedit ira dolores,
Incępit rabieq́ tumeſcere, & exuit omne
Corde pium, ingenti gladium rotat impete, Martis
Synciput atq́ ferit, nec caſſis profuit, illi
Mars punctim contra tranſegit pectus, acerba
Parte alia Pallas conſors certaminis, vrget,
Percutienſq́ humerum. Satis hæc ſunt vulnera dixit,
His Mors cęca oculos caligine claudet, & artus
Luridus exangues pallor, lethaleq́; frigus
Arripiet, magno at nobis victoria conſtat.
Pallados abſtrahitur verbis, pugnamq́; reliquit
Mars, & pernici petierunt ęthera curru.
At iuuenis licet extremos perferre labores,

Senſit vbi abſceſſiſſe Deos, excanduit acre
Dentibus infrendens, digitos & ſæpe momordit.
Inuidet alitibus, ſuſpirat Dędali & artes.
Præpete ſumma queat quo cœli ſcandere penna.
Semiuirum & Martem, vilem, inceſtamq́; Mineruam
Appellat, poſcitq́; iterum in crudelia cæcus
Prœlia, vos vos hic maneo, vah terga dediſtis
Semianimes gelido perculſi corda pauore,
Non decet armigeros fugitiuæ fidere plantæ.
En vna rurſum cupio confligere, vires
Sat mihi, ſuntq́; animi, ſanum quid turpiter hoſtem
Deſeritis? pax nulla mihi nec fœdera ſunto
Vobiſcum. veniat certatum fortis enyo,
Et triplici telo contendat Iuppiter, omnes
Stelliferi vnanimes oppugnent incolę olympi.
Et ſtygis horrendę me contra claſſica pulſent,
Cerbereis Dæmon baubatibus impius inſtet,
Cęleſtum vigor eſt connectere vincula collo.
Et noctem, & rigidos captiuos ducere manes,
Atq; Cathenato gemino præcedere mundo.
Talia iactabat, paulatim corpore robur
Labitur, & vis illa alacris decreſcere ſenſim
Incipit. ergo domum petijt, defectaq́; lecto
Membra locat, nulliſq; valet curarier herbis.
Alter quum Chiron præſto & podalirius eſſet.
Tempus erat Titana nouum quo lucifer ortus
Nunciat, & grato fœcundat prata liquore.
En ægrum vndanti palleſcit ſanguine corpus,
Effætæq́; cadunt vires, nouus occupat ima
Oſſa tremor, grauibus ſubito nox ingruit atra

Luminibus, cęcęq; aciem rapuere tenebrę,
Efflauitq; animam tandem. hic fuit exitus illi,
Exitus immani plangere, & perpete luctu
Mi miſerę, toti terrarum orbiq; dolendus.
Iſta dolor dictat, quo perſuadente nequimus
Cernere vera aio, mens obliquantibus errat
Iudicijs, recti haud ſeriem faciemq; videmus.
At prius extirpa non ſano e pectore motus,
Lętitia dices Antoni corpus humandum
Parthenope eſſe, omni nam vixit principe maior
Moribus, ingenio, forma, virtute, decore.
Nec manibus cecidiſſe hominum, nec funere raptum
Degeneri oſtendit q̃ duris polluit armis.
Cum Dijs certeſſe eſt nimirum gloria, laudem
Mortalem excedens, humanaq; nomina tranſit.
Nulla ætas Heroa tuum nec ſæcula carpent,
Viuit adhuc, viuetq; diu, dum græca legetur
Hiſtoria, atq; Italę donec reſonare camęnę
Grandia facta queunt, veteresq; euoluere faſtos.
Multus erit ſeris annalibus, vſq; loquentur.
Magnanimi inuictiq; duces, & fortibus auſis
Archetypum accipient, & prœlia nulla ſilebunt.

Ad Ianum Triuis. patricium Venetum.

SI te patricij genuerunt ſanguine priſco,
Plenaq; nectareo tribuerunt hubera ſucco
Aonides, dedit atq; ſacer tibi dogmata phœbus.
Me bone Iane foue, me votum dilige quęſo.
Nam quid grande magis, quid docto dignius extat
Patricio, tenues q̃ velle iuuare clienteis?

Lodouico Angeriano legum doctori. S. D.

IAcebam in lectulo cottidiana febri correptus, qum allatus fuit nuncius Carolum Cæſarem, ac Franciſcum Galliarum Regem, qui vt omnibus liquido conſtat, ab ipſis (quod aiunt) vnguiculis pro diuite ſane Regno atrociſſimas inimicitias exercuerunt, Ita vt ad prœlia neruos intenderint, atq; interdum vires attriuerint vniuerſas, feliciſſimo ſidere pacificatione coniunctos eſſe, quod mihi profecto bellorum oſori vehementiſſime placuit, Ita vt licet corpore ægre afficerer, animi voluptate mirifica delectarer. Bellum etenim pace mutatum, (vt vtar verbis Valerij) plurimum gaudij affert. offenſarumq; acerbitas depoſita candida relatione celebranda eſt. Quo circa non alienum duxi conceptam lætitiam carmine patefacere, tibiq; Angeriane dicaui, primum quia humano generi tam vtili pace, noueram ſummo te gauiſum opere. deinde beneuolentia qua te complector, vt aliquo tandem a me merito augeretur, poſtulabat, exigebatq;. Cæterum pudore afficior, in te qui me familiamq; meam pro concione inſigniter ornauiſti, ornaſq; in dies huberiori laudum cumulatione nihil muneris contuliſſe, literarij ſcilicet, non pecuniarij, qum arbitratu meo te patris vti non liceat, & mihi ſit quaſi caſtrenſe peculium plane modicum, atq; anguſtum. Ne igitur ingratitudinis quam teterrimam arbitror, labe commaculer, ab ægroto compoſitum carmen, quod ſpero noſtram emori neceſſitatem non patietur, humaniter accipies, & Vale. meq; ama amore illo tuo peculiari. Sanctæ Seuerinæ Quinto Nonas Octobris.

M. D. XXIX.

EXultet Calabrum ex imis Prouincia fibris,
Quę tonitrus ſenſit tantum, non fulminis ictus.
Vir mulierꝗ canat, ſenibus ſociata iuuentus
Argutum pulſet feſtiuo ſedula plectro
Barbitum, ad aſtra poli numeros iactetꝗ canoros,
Verꝗ domos & templa Deum prędiuite luxu
Fulgida ſternantur rutilis aulęa figuris.
Non ceſſet manus vlla alto de culmine flores
Proijcere, vt domis triuium ditetur inemptis.
Pandat opes nunc Hybla ſuas, det munera pęſtum.
Veris & ornatus non Trinacris abnuat Aetna,
Et tu qui innocuos vigilanti lumine cętus
Seruas, ſubꝗ tuo ſeries ſtat iure piorum
Lęta ſacerdotum, famulas diſpone cateruas,
Paſſim adeant ędem, longinquaꝗ fana frequentent,
Lampadas in manibus geſtantes, maſcula largis
Thuraꝗ fumificas adolentes ſumptibus aris.
Et grates reddant ſuperis, pateraſꝗ tonanti
Libent. Auſoniæ ꝙ tandem induiſit vt orę
Sanguineo Mauors ceſſaret viſcera ferro
Lędere, veſanis feriendum & tradere pectus
Militibus, pax vna auro precioſior omni.
Omnibus atꝗ opibus melior, ſuetoꝗ relictum
Quolibet e populo bellum renouare triumpho
Dignior, ęthereo munus deſcendit olympo.
En odijs paribus qui certauere tot annis
Carolus Aſturici rector latijꝗ ſenatus,
Celtarumꝗ æquo qui frenat iure furores
Franciſcus, quo (vt fama refert) nil pulchrius orbis
Totus habet, nil horrificis animoſius armis,

Pectore concordiſ æuum bellare quierunt,
Fœdus & vnanimes icerunt parcæ perenni.
Quo magis atq; forent initæ durantia pacis
Robora, quo poſſent nullaq; ex parte labare,
Et validæ ſemper maneant fundata, iugales
Vinxerunt ambos ſocialia vincula tedę.
Gallorum Regis (gemino nam pignore gaudet)
Ergo prior natu geniali fœdere lecti
Cum nata Hiſpani coniungitur imperitantis.
Scilicet vt miſto generentur ſanguine, pugnas
Qui ꝑ queant ſcelerum faciem tardare Nepotes.
Ibit Ticini poſthac non decolor vnda
Strage equitum, peditumq; ſimul, non Roma tumultus
Theutonicæ gentis gladios non cernet Iberę.
Quosꝑ diu ligures Mars extenuauit, egentes
Reddidit, atꝙ inopes, belli ceſſante furore
Succeſſu incipient hilari diteſcere pulchrę.
Mœnia Parthenopes centum vallata maniplis,
Et denſa nuper Belgarum cincta phalange,
Pulſo nimirum pugnę procul impete gaudent.
Non tandem vlterius rerum confuſio fiet,
Alpina veniente manu, non Gallicus enſis
Ingruet, Auſonios vret non flamma penates.
Pro muris natos non flebit mater ademptos,
Nullaꝙ lugebit fratrem germana cadentem,
Nullaq; nupta virum longos diſcerpta capillos
Vnguibus, in cunctis pax alma morabitur aris,
In plateis laribuſꝑ hominum, cętuꝙ frequenti
Lapſa deum iuſſu concordia Cęlitus vrbes
Heſperias ſenonumq; in ſæcula longa ligabit.

Hæc eſt illa dies garamantum creditur, & gens
Turcarum populo qua conceſſura fideli.
Nec magis imperium latiæ affectare curulis,
Romuleoſq; lares, habitata palatia Diuis.
Nec lux Chriſtigenas armat contundere mauros,
Et tetrum eois expellere finibus hydrum,
Gutture & eliſo medio merſare profundo.
Fortes cerno manus, validas iuuenumq; cohortes,
Inq; palęſtinos ſyrioſq; cruenta cientes
Prœlia, qui omne tenent contra iuſtumq;, piumq;
Inuitis ſolymas nobis, ſacrumq; Sepulchrum,
Bethlemiumq; ſolum noſtri cunabula Chriſti.
O q̃ turpe ſcelus, q̃ nos infamat, haberi
Pro nihiloq; facit, ſuperum miracla ſileri.
Barbarus inſultans Italos appellat inertes.
Regum armis iſtorum augebitur vndiq; Sancta
Relligio, potiorq; fides, prorſuſq; iacebit
Fœda ſuperſtitio nigro damnata Barathro.
Cerno pannonicas qui infenſo milite terras
Obſidet, & gelidum Memphitem tranſnatat Iſtrum,
Regem terga dare, & refugos auertere curſus,
Plantę ſpemq; Citæ dubiæ committere vitę,
Et trepidum latebras atq; auia quęrere Mundi,
Iam deſperantem poſſe euitare cathenas
Et coniurati ſæuas in bella ſecures
Auguſti, Senonumq; Ducis, non audet ineptus
Vlterius ſtabilem flauum promittere Tybrim
Fatorum ſeriem, magnæq; tumeſcere Romę
Mœnia, conceſſaſq; ſacras cœleſtibus aras
Cornipedi præſepe ſuo, menſamq; futuras.

Qui prius occiduis naſcentis claudere phœbi
Finibus Imperium iactarat, & vſq; Boreum
Auſtralemq; polum, vexilla & limite Mundi
Siſtere nunc arcta cohibet veſtigia valle.
Armigerumq; Iouis fruſtra inuaſiſſe, Leonem
Magnanimumq; gemit, gaudet tot Achaia luſtris
Quæ ſtetit immanis iuri ſubiecta Tyranni
Seruitium excuſſiſſe graue, Inachiumq; choreis
Inuigilat, poſtes & feſta fronde coronat
Argos, palladiq; nimium lętantur Athenę.
Atq; vrbes Aſiæ ſtudio certante rebellant,
Carolum & accerſunt. Rex o properante habenas
Sume Deum proles, diuoſq; dature potentes.
Inuictiſq; armis Magmeden pelle nefandum,
Perfidiamq; abige e terris, cultuſq; prophanos.
Curre hilaris, dubio facies non prœlia Marte,
Aut cęco euentu, palmę redimita Corona
Scilicet vſq; tuis habitat victoria caſtris.
Threiciuſq; animos auget vireſq; gradiuus
Militibus, præbetq; alacrem Bellona fauorem.
Quid ſtas? rumpe moram, te ad ſtrenua facta creauit
Cęlicolum genitor, quo feſſis rebus adeſſes,
Intrepiduſq; hoſtem multares funere Chriſti.
Hoc profligato totus tibi ſeruiet orbis,
Inq; triumphata regnabis ſede Monarches.
Sed fac participem tantę iuſtiſſime laudis
Quo cũ Sancta fuit nuper victoria Regem.
Sulcetis pariter pelagus, date carbaſa ventis
Fluctu eodem, hæc geminos habeat prouincia diuos.
Vnius iſta tui eſt non diſpar ſarcina membris,

Sed cuius proaui tot bellis ante peractis
Pro Chriſto obiecere animam, innatuſq; ſalubri
Innumeris ſordes populis pepulere lauacro.
Fas eſt immunem tanti non eſſe paratus.
At poſtq; in latios victricia ſigna penates
Duxeritſq; Aquilas, fuſoq; ex hoſte trophęa.
Gaudia erunt haud parua polo, cętuq; deorum,
Funditus eoas vires hauſiſſe, bifrontis
Orbeq; pacato claudentur limina Iani.
Ferrea ſordebunt ſiccæ rubigine longa.
Tela mora, fientq; graues ex enſe bidentes,
Vomis & e pilis, e curuę caſſide falces.
Qua fornace ocreę qua non incude ſonabunt?
Nullus erit miles, quæretur gloria nulli
Marte viro, ruri tantum ſudabit arando
Cuius mala pilis in duris floruit armis.
Carpet iter nullo tutum inſidiante viator,
Non fures non fraudis erunt ſceleriſq; miniſtri.
Illa erit ætati priſcæ qua moribus ætas
Par emendatis vitio viduata nefando
Lacteus e ſummis ſtillabat montibus humor,
Aurea & exactis orientur ſæcula probris.

De Populo Seuerinate.

Est hic eſt populus ſocio benefidus amori,
Fortis in aduerſa fortuna, humiliſq; ſecunda,
Conſilijq; capax, & ſæuis acer in armis,
Diues et, aſt inopi longe fugiendus, auarus
Irrita mandat opum defoſſę præmia terræ.

Antonio Thyleſio bene eſſe.

ARrogantiæ aſcribas nolim, ſi nulla antehac tecum neceſſitudine deuinctus, rude carmen mittere non erubuerim, teq́; ad ſcribendum prouocauerim. Coegit Amor quo literis claros vel nunq̃ viſos religioſiſſime complector. Id fortaſſe amicitię inter nos auſpicatiſſimum erit exordium, meq́ mutuo adamabis. Metiaris obſecro ſtudium erga te meũ, & q̃primũ cũ neceſſarijs nõ faſtidiendis annumerabor. Vale, Pſychro Quartodecimo Calendas Auguſti M. D. XXX.

MAntua magniloquo portatur in aſtra Marone.
Vrbs flacco venuſina extat tumefactaq́ alumno.
Pelignus cęleber Naſonis carmine ſulmo.
Et ſubnixa altum gemino Coſentia ponte,
Non q́ diuitijs Calabras excelleat vrbes,
Belligeriſq́ viris, longis auditur in oris.
Atq́; excęlſa ferit ſublimi ſidera laude.
Non q́ Cęſarei multo munimina caſtri
Fortia ſint plumbo, & longe muralibus hoſtes
Tormentis abigant, ſacriq́; arcana reſeruent
Imperij, circumpagi maneantq́ trecenti.
Sed quia te gremio fouit genitoribus ortum
Patricijs, & blanda aluit, puerumq́; Magiſtris
Grammatices tribuit qui cęca ęnigmata norant.
Pollice vt artificis formaris cæra, decorus
Euadis tenero ſat honeſtis moribus æuo.
Sedulus & q̃q̃ Auſonias euoluere chartas,
Vix elementa tamen græcæ cognoſcere lingug.
Nullus doctor erat Calabris famoſus in oris,

Qui doceat Cupidum Sophiæ præcepta pelaſgę.
Ergo qum prima mentum floreſcere pube,
Et loce digreſſus patrio, Tyberinaq́ lęto
Corde fluenta petis, ſepteno Romula monte
Vrbs vbi fulta viros fortes in Martia nutrit
Prœlia, & in placidas Atteę palladis artes.
Hic primæ admotus claſſis doctoribus, hauris
Omne breui latiæ linguæ quoq; nectar Achęę.
Caſtalijq; ſatur nec ſorbitione liquoris,
Diuite at ingenio, & prælarge flumine venę,
Et nauo ſtudio vates ſis maximus, æquo
Vt pugnes priſcis certamine, vera Rudinus
Eloquar, & rapidi cedit tibi Muſa Lucreti. Muſa Lucreti
Pęnus cuiq́ ferox, & cui deſcribitur Argo
Peliacis fabricata iugis, in phaſidos aurum
Præcipiti dubium remo aſcenſura profundum.
Aſſurgit Maro quinetiam, mirabile futu eſt,
Quàm prædulce canas, q̃ culta poemata nectas.
Qum ſcribis duros ſubeat quot nauta labores,
Iras Neptuni expertus Thetidiſq; videris,
Non ſemel inſultus, tumidiq́ pericula ponti.
Aſpera qum functi deploras fata parentis,
Statius inferior lugubris carminis arte eſt,
Qum mœſtum exequijs carmen patris intulit, ambis
Condere ſi blandos elegos, nocturnaq́ ludis
Furta puellarum, ſuperatur cęlſa Tibulli
Gloria, & vmber amans muteſcit, cous & edit
Gymnaſio haud vllo admiſſus lamenta Philetas.
Nobilis hinc adeo facta eſt Coſentia adorat
Hinc Andes, tribuit cantus hinc Corduba palmam.

Publicus eligeris præceptor, traditur omnis
Indolis egregiæ gradiuo nata iuuentus
Inſtituenda tibi. quin addita plurima merces
Annua, nulli vnq; ſapienti indulta, diſerti
Pompon i ignoſcant manes, ſublimior Aulo
Vecnor maior eras Syllano nomine Romę
Circiter hic annos bis denos ſenſa recludens
Diſcipulis abſtruſa moram trahis, altus honore
Culmine ſuſpiceris patribus, miracla Senatus
Ingenij putat eſſe tui, amplectuntur, amantq;
Summates, carpuntq; epulas, & pocula ſumunt
Vna Campanum ſpumantia pocula vinum.
Et licet inter ſe certarint comminus armis
Diſſimili vrſa Columna animo, ſolum hoc tamen vno
Conueniunt, dum te obſeruant & munere largo
Ditant. Pontifici quin gratior omnibus, vſq;
Conſilio intereras ſecreti conſcius alti.
Vnius e voto pendebat ſacra Thyleſi
Curia, cardineo donatis culmine tanti
Dimidium vix iuris erat, ſed corripit ardor
Viſendę patriæ, qualis per turbida laſſum
Aequora dulichium ductorem, cernere fumum
Qui patrium optare, atq; Ithacam prępponere vitę
Aethernæ, mira eſt vis, atq; potentia terrę
Natalis, vario vexantur pectora motu
Dum ſumus externi, peregrino & degimus orbe.
Hic nobis requies vbi creuimus, atq; vbi lucem
Hauſimus, & paribus pueri ſociamur amicis.
Quippe parum refert alienis omnibus oris
Auctos eſſe opibus, potioribus vſq; caremus,

Et ſponte exilium ferimus,quo turbine damni
Aduena mens agitur,quo impellaturq; tumultu,
Expertus loquor.ergo auido ceſſiſſe poteſtas
Indulta ingenti tandem eſt molimine,luget
Nobilitas.& luget eques,queriturq; minorum
Ordo virum,magnus nimium dolet atq; ſacerdos,
Turba gemit patrum.cui nam celeberrime doctor
Auſoniam linquis prolem? viduoſq; fideli
Filiolos monitu quis Palladis inſtruet arte?
Gymnaſij quis Rector erit? Palatia Muſæ
Romula deſtituent,& tectus arundine Tybris
Occultuſq; vadis numeros lugebit ademptos.
Interea tu carpis iter,paucaſq; diebus
Et Calabrum fines,& Brutia conſpicis arua,
Ante oculoſq; tua eſt Coſentia denique,quiſq;
Obuius it Ciuis,ſuperum laudatq; tonantem,
Optato aduentu lætus,contingere dextram
Certatim geſtit,blandaſq; expromere voces.
Hac circum ſtipante manu deduceris intra
Mœnia,principio Diuos patriamq; tot annis
Deſertam miti facilis ſermone ſalutas,
Excuſaſq; tuos abitus,mox lætus auita
Tecta ſubis,gaudeſq; aula requieſcere chara.
Inq; dies patrij ſentis bona multa receſſus.
Debilitant tamen ingenij non ocia vires,
Aſt alta orſa capis phœbea ope prœlia terris
Geſta canis ligurum (perhibent ceu) ſæpius agri
Commoda laudaſti ſtudioſus idonea Muſis.
Inde nemus ruriſq; petis ſecreta,ſub vmbra
Dum Sol voluetur victuraq; carmina pangis.

Ad Vincentium Pimpinellum Ruſciani Archiepiſ.

MIrum eſt quæ Calabros mouerunt gaudia, quæ ſpes,
Cum noſtras præſul tandem expectatus in oras
Veniſti, te turba alacris, paſſimq; frequentes
Patricij, matrumq; chorus, caſtuſq; ſacerdos
Certatim dextræ libans ſacra oſcula, honorat.
Et ſecum hæc. Salue orator celeberrime ſegnes
Qui pote germanos animare in prœlia, ſolo
Eloquio indicens Turcęo bella Tyranno.
O quæ tum voce es iaculatus tela rotunda?
Fulmina quinetiam? maior ſæpe Auſtrius, & te
Fernandus ſtupuit flectentem corda, feracis
Pannonię qui ſceptra tenet, tibi laurea certe
Debetur, ſi pulſa procul gens efferá ſoluit
Danubium obſidione, intra fineſq; recepit
Se Imperij, parte atq; alia Neptunius Heros
Ferro igni oppreſſit vectus modo claſſe ſecunda.
Nil Clemens pater almus habet ſapientius, atq;
Cui poſſet Romam committere tutius, inde
Munus obis toties legati. gallia nunc te
Accipit heſperię laturum arcana ſupremę
Verba duci, nunc te pellitus ſarmata, nunc te
Turca ferox, validi tellus & fera Britanni.
Vtile Pontificis ſic Pimpinelle procuras,
Vt poſtq̃ Tyberis perfunctum munere cepit,
Martigenæq; viri ciuem amplexantur amatum,
Dat tibi dona parens animi argumenta benigni
Romuleus, cenſumq; auget, cumulatq; beato

Largus opes, iterumq́; amplis te dotibus ornat.
Hactenus haec cecinisſe ſatis, tu maxime praeſul
Accipe compoſito illepidum modo pectore carmen,
Nec trutina perpende graui, & me dilige quaeſo.

Ad Diuum Antonium Patauinum pro victoria Caroli Auſtr. Caeſaris de Mauris, & Turcis.

O Patauii tutor ſublimibus addite Diuis
Antoni, Heſperij decus orbis itemq; Latini.
Flecte aures, humileſq; preces neu neglige, dextri
Numinis auxilium per multa precamina poſco.
Auſtrius en meus vt libycis cum gentibus arma
Conſerit, immanem tentat proſternere & hoſtem.
Non vt tot regnis Libycas adiungat harenas,
Exuſtumq́; ſolum, non hoc pia Caeſaris arma
Quaerunt, nam ſat habet terrę pelagiq́; cruentis
Noſti ceu toties afflixit cladibus vrbes
Campanas, calabrumq́; ingenti claſſe bilinguis
Poenus, ferro igni & vaſtauit Iapygis arua,
Et ſubito extremas Naſamonum fugit in oras
Caeſaris, & ſummi contemptor numinis, iſta
Quae placidos animos & lentas ſuſcitat iras
Cauſſa eſt magnanimi ducis, armauiſſe trecentas
Puppes, & libyco ſaeuum inſultaſſe profundo.
Sed video tentat fatis maiora ſecundis
Poſt victos Garamantas, poſt Numidaſq; ſubactos
Carolus, in Turcaſq́; mouet ſua caſtra feroces,
Et Conſtantini felicem ſtrenuus vrbem

Inuadit, video victricia ſigna volare,
Audaceſq; Aquilas, hic hic præſentia præbe
Numina, opemq; feras terra precor alme mariq;
Antoni, Carolumq; tuum defende gerentem
Bella pia, & Chriſti ante Aquillas vexilla ferentem.
Deſere neu tantos noctuq; diuq; paratus.
Hic hic aſſiduo latias defende cohortes
Præſidio, inuictoſq; animos & ſuffice vires.
Arma feras precor, arma feras, & tela miniſtra,
Hiſpaniſq; tuis tacitas ſeu nocte pararint
Inſidias, ſeu forte acri contendere ferro,
Semper ades felix, audaciaq; orſa ſecundes.
O quæ templa tibi Germanis condet in oris
Carolus, & ſpolijs lętus ditabit opimis,
Qum debellato victor remeabit ab orbe.
Scis q̃ Cęlicolum ſit cultor, q̃ q; verendę
Religionis amans, hęc tanta pericla capeſſit
Saliœt vt Chriſti valeat protendere nomen.

Ad Ianum Maripetrum
Patricium Venetum.

QVm mihi parua foret (Sic vult fortuna) ſupellex,
Illuſtrem celebrare virum, dominum q; benignum
Conſtitui, & blanda ante alios ornare camęna.
Qui mihi ſufficeret degendę commoda vitę,
Atq; patrocinio poſſet defendere, quumq;
Inclyta mille daret ſatis vrbs Neptunia, vaſto
Quæ imperat vna ſalo, & latis lęto omine terris.
Tu mihi tu ante omnis proceres, ſanctoſq; quirites

Eligeris, quos diues opum atq; ornata triumphis
Vrbs alit, & chartis geſtit mandare latinis,
Præſidium noſtri ſplendorq; Sabellicus æui.
Muſarumq; pater claro ortus ſanguine Bembus.
Ergo Sacerdotum columen ne ſperne clientem,
Admittasq; hilaris. ſic nulla aduerſa fatigent
Extimulentq; animum. Sic mitem tarda parentem
Fata adeant, longis donent & Neſtoris annis.
Sic Venetę ſapiens ditionis Auunculus ipſe,
Qui caput, & Princeps nunc Illuſtriſſimus extat
Grittiades gelido ſidus reſplendeat axe.

Alloquitur vrbem Romam.

Quid tantum hiſtoriæ natumq; patremq; latinę
Commemorant Decios, veteres & fortia fuſi
Pectora Romulidum, certę deuotaq; morti?
Quid tantum inſultas cunctis Roma Inclyta terris?
Et quid magnanimos tantum admiraris alumnos?
En Antenoreis Phœbo Aonidiſq; ſacrata
Auſpicijs tulit vrbs fortes in prælia Ciues.
Inuictiſq; ætas animis & viribus amplis
Sera habuit natum egregium, egregiumq; parentem.
Qui patriæ toties inimicas mœnia turmis,
Millibus ingenio defenſauere ſagaci,
Belligeraq; manu. Scit miles gallicus, atq;
Hiſpanę nouere acies, quã pectore magni
Magnanimo potuere viri, quã fortibus armis.
Laudauit Daualus Dux circũſpectus, & heros
Proſper, fernanduſq; etiam conſaluus honore

Affeat multo, quãuis contrarius eſſet.
Si forſan quæris qui ſint? Antonius æui
En eſt en genitor ſublimis gloria noſtri
Et natus magnus clarus Conſtantius actis,
Procedens parili virtute in bella, parenti
Quã ſimilis, ſtupeo præſtantia pectora, dignam
Et ſuaem, & quales poſſet Mars ſtrenuus artus
Expetere, & pulchrę decus immortale iuuentę.
Sed tandem Ducis Alniani ſors inuida morti
Expoſuit, certis caput obiecitq; periclis
Amborum, pariter Vicetia funera vidit
Mœſta duo, lachrymaſq; dedit miſerata cadentes,
Et parili fato gemuit Natumq;, patrem q.
Eſt conqueſta necem nimium Vicetia, fleuit
Sed mage in Adriacis vrbs condita fluctibus, alto
Quæ dat iura mari, & tecum contendere tentat.
Nam cui patricij, cui Princeps Inclytus audet
Fidere, quos Venetus poſſet laudare Senatus
Non habet, armatas & cui committere turmas.
Indefeſſa virum ceciderunt corpora poſtq;.
Quandoquidem norant quantum bellator vterq;
Viuidus, hoſtiles q; ferro ſæpe Cateruas
Fuderit, atq; ædem Marci, patauinaq; templa
Ditibus ornarit ſpolijs, & ditibus armis.
Poſtera quæ ſeruat monſtranda Nepotibus ætas
At magis Vrbs pataui queritur turrita, capillos
Vnguibus infenſis ſcindens, & pectora pulſans.
Meduacumq; facit prælargo currere fletu
Latius vndanti vaſtantem vortice lętus
Ruricolum ſegetes, atq; expectata laborum

Præmia, vociferans quo chari abiiſtis alumni?
Cui bone conſtanti caſuram deſeris? illa
En ego quæ genui, foui, docuiq; ferire
Certius, inq; hoſtem telum torquere frementem
Dexterius, gladium & velocius igne rotare
Fulminis, infrenes & ſiſtere poſſe iugales
Q um libytum, armatum & fluuios tranare tumentes.
Q uæ priſci Heroes proles animoſa Philippi
Pellęi, Aeacides, Theſeus, atq; impiger Hector,
Phryxęę & prędator ouis, plenuſq; furoris
Magnanimi Tydeus, didicit purgator & orbis
Alcides, Troiam euganeis qui inſtaurat in aruis
Antenorq; meus, latię pręceptaq; linguę
Illa eadem docui, meq; inſinuante magiſtra
Q uæ deceant noſtri pręclaro ſanguine natum.
Et q̃ ſit tutum virtutem amplectier almam.
Q uàm vitijs via larga patet, q̃ plena periclis.
Hæc ſantem interpellat Martia Roma, quid vltra
Proueheris? meus eſt Antonius, eſt meus atq;
Filius. eſt idem patauinus ſanguis, & idem
Romanus. Phrygia venit quis neſcit, ab vrbe
In latium Aeneas magnorum numine Diuum.
Vnde genus (ſeriem longum eſt euoluere rerum)
Romulidis, Antenor item Troiana propago
Illyricum emenſus patauinam condidit vrbem.
Q uam ſæua exoſus certamina, & impia bella,
Legibus & ſophiæ, placidę dicat atq; poeſi.
Externa ergo exempla petis, Troianus vterq;
Eſt populus, certe deſcendens Dardano ab vno.

Marco Antonio magno ſuo
benevalere.

MVlto hercle ſerius q̃ ſperaueram, Hendecaſyllabi, ad te noſtri perferuntur tabellariorum caritate, incuriaq́; ſatis lepida. Tu ſicuti cæteras fęturas noſtras admittito hilare, comiterq́;. Mirandum in modũ (quod nõ te clam eſt) Illuſtriſſimi Principis noſtri ſum ſtudioſiſſimus, eroq́; dum mihi vitæ ſpacium prorogabitur, non tam profecto ꝙ ſuæ me ditioni bona fata ſubiecerunt, q̃ ꝙ luculentiſſimis virtutibus inſignitus impeccabile agit æuum. Idarco ſibi cuperem militare. Sed qum negocijs vacarem non negligendis, a quibus poſſem nullatenus auocari, optarem maximo opere ex fratribus adoleſcentulum ingenio liberali præditum, cuius indoles magnam vitæ frugem pollicetur, ſeruitio ſuo dedere, mancipareq́;, vt ipſe mei vice fungeretur. Enimuero, vt apud ipſum dubio procul ſim impetrabilis, te vti volo deprecatore. apud quem tanti vales, quanti nemo. Te igitur rogo, atq; oro vehementer, vt id ſtudio tuo obtinuiſſe queam, tibiq; acceptum referam, habeamq; gratias non vulgares. quandoquidẽ optatis tuis (vt probe ſcio) morẽgerere pro virili parte conatur, tibiq́; obſecundat q̃libẽtiſſime. Nec iniuria, cui enim optime gerendę rei prouinciam melius demandaret, cuiq́; fidere poſſet, ſecurius habet neminem. & vbi nam alterum Magnum cuius in induſtria, fide, prudentia requieſceret, inueniret? Quamobrem factum eſt, vt tui vnius pluris faciat amicitiã, q̃ ſexcentorum male Magnorum, Da operam igitur obſecro, vt quod abs te & recte & honeſte nõ mediocri deſiderio poſtulatur, benignius impetretur. cõſequeris, ſi voles, nullo fermè negocio, qum penes te ſit in proclini. Huius voti ſi (vt

mihi perſuadeo) compos fuero, me ſpes quam de te iampridem concepi, non fruſtrabitur. arctioriq; nodo deuincies. Bene vale Magne erudītiſſime, iuxtaq; eloquentiſſime, tuiſq; omnibus dic a me Salutē. Pſychro Quinto Idus Octobres.

MIrabar q̄ iners, & ocioſus,
Segnis, languidus abſq; mole triſti
Curarum, ocia carperet ſub orbe
Extremo Heſperiæ potens iberę
Regnator, titulis nihil dolendo
Suetorum ligurum malis, ademptis.
Nam qum hoſtis rapidus, vorax, cruentus,
Stultus, mentis inops, libidinoſus,
Temetum redolens teneret orę
Tyrrhenæ Adriacæq; iura ſceptrum,
Vatiſq; euboicæ entheos receſſus,
Syluas & virides agri falerni.
Miles Theutonus interiret intus
Languens Parthenopen grauiq; morbo,
Iucundum atq; ibi deeſſet omne vitę
Degendæ ſtudio quod eſt neceſſum,
Natura ęgraq; poſtulat, cupiti
Nil Cęſar dedit ipſe commeatus
Bellanti populo, ſed altus auri
Et Sceptro & Solio & nitens Corona
Vnius faciebat aſſis ommes
Irati duas & minas, & auſa.
Cognorat Ratio eſt, ſuas cohortes
Terra vel tumido ſalo repertas
Quod Mars ſtrenuus & Minerua pugnax

Tutatur, moderatur, & gubernat,
Defendit, fouet, & miniſtrat amplum
Robur, languiduli merentis ære
Inſtigatq; animos, & ipſa corda
Laus, & gloria cum decore belli
Virtus feruida, & acer ardor hoſti
Qui non cedere nouit imminenti,
Accendit, ſtimulat, ferit, terebrat,
Flammis, eloquio, enſe, lanceaq;.
Fidit quinetiam Deę potenti,
Quam dicunt Nemeſim vagam, leuemq;,
Hæc nam prœlia ſoſpitat, ſecundat,
Inſtaurat, renouat, videntur eſſe
Quæ vel languida, pene vel perempta
Si non fuerit euocatur hæc, &
Multatur male contumax iniqua.
Et mox carcere clauditur moleſto.
Iuſſu principis inde liberatur,
Damna & munere ſarat auctiori:
Vincet ſæcula cuncta per futura
Cæſar, nancq; ſuis fauere caſtris
Fortuna inuigilant deiq; belli.

Ad Nicolaum Salernum.

CVltor pegaſidum, Mineruę alumne,
Carmen qui varium, nouum ſonoro
Dignum Męonidę paras boatu
Euentu edere poſteris ſecundo.
Felix cui faciles dabunt Camęnę
Indelebile nomen, & perenne.

Ne clam ſit populos fides futuros.
In te, & noſter amor pius, ratuſq;
Noſti ceu fieri queat, puſillo
Id certe facies volens labore.

Ad Librum ſuum.

NOn ꝙ non decoreris vmbilicis,
Nullo pumice leuis, & nec vnctus
Cedro, vel tineas, vel inuidi æui
Contemnas cariem, dolor moleſta
Mentem mi face terſit aſper ęgram.
Lugebam prope ianuam barathri,
Quod nulla cruciatus ante lima
Sentus, ſquallidus, omnibus nitelis
Priuatus, rudibus ſimul peritis
Moturus fueras grauem cachinnum.
Te propter ſtygio dedi Tyranno
Supplex vota, preces. parum dolebam
Linquens pene puer pios parentes,
Et fratres iuuenum fide laconum
Dilectos, geminas ſimul ſorores,
Et quæ diligitur magis ſalute
Ipſa, Faſtia dia prænitente
Cęleſti melior Dea decore,
Forma, moribus, ore, laude, plectro.
Te propter miſer heu nimis querebar
Solum, poſthabitis ratis amicis,
Quos ſemper colui, colamq; ſanguis
Membris donec erit, benigna fata
Tandem reſpiciunt parum nocentem,

Et longo auxilium ferunt labori,
Aeuo nec morior ſatis tenello,
Et te non patior mori libelle
Quàm vitam accipias prius.negauit
Si æuum Calliope tibi perenne,
Annos forſan ad vtilis trecentos
Seros conſpicies ſenex nepotes.

Ad Diuum Antoniũ Patauinum.

O *Salue ętbereum decus quiritum,*
Qui cunctis facilis,bonus,benignus
Præſtò es,dona ferunt tholo recepti
Sexcenta vnde,tuum foue clientem,
Atq; omni eripe labe me,& labore
Antoni.horribilem crucem rogamus
Per Chriſti domini,aſperaſq; plagas.
In Chriſtum per amoris igneumq;
Oeſtrum.quod tua corda concitauit.

IANI THESEI CASOPERI PSYCHRONÆI LIBER TETIVS.

AD DEIPARAM VIRGINEM.

V*Irgo ſalus terræ,cęſi terrorq; Barathri,*
Et decus,& rutili gloria prima poli.
Te Deus impleuit,magnũq; enixa tonantem es,
Et tria diuini nomina honoris habes.
Accepiſti vtero natum ſine labe pudoris,
In ſacro & virgo es caſta puerperio.

Et poſt oſtenſam tenebroſis lampada terris,
In te intacta viget ſanctaq; virginitas.
Vnicuiq; dedit ſemen natura pudendi,
Inq; omni proprium virgine crimen erat.
Huic vanam inflarat veſana ſuperbia mentem,
Huius erat votum iungier atq; mari.
Ira huic accendit rapidis præcordia flammis,
Sæpe illam in præceps æris adegit amor.
Immundę immunis totius at vnica labis,
Humana vnde Deus ſumeret oſſa, places.
Quid maius fari centeno gutture poſſem
O Dea quàm partus myſtica ſacra tui?
Polliciti vero priſci te carmine vates,
Oeſtro diuino plenaq; Deiphobe.
Ni tu nata fores, clemens miſeratus Ieſus
Prolem ægram, ſolymes non ſubijſſet humum.
Ni tu nata fores, cum coniuge degeret atris
Falſus Adam, & Moſes legifer in tenebris.
Totq; pios ſummi cultores numinis orcus
Pallidus, immanis, teter haberet auos.
Te deus Auctore atq; duce & ſimul auſpice clauſit
Inferna, & rabiem cerbeream domuit.
Debemus tibi tartareo procul eſſe labore,
Sideream nobis atq; patere forem.
Seruaſti æterna tu nos pia morte receptos,
Dum ſeruatorem concipis, atq; paris.
Tu patrona hominum triſti commota dolore
Vſq; ades, & miſeris ſæpe benigna faues.
Tu nautis tumido iactatis ęquore, tutum
Pandis iter, laſſę robora daſq; rati

Tęnarijs certe longe felicior aſtris,
Necnon pacata Doride *Cęrulea.*
Si te implorarit pronus cui miles apertum
Sęua pectus erat cuſpide, ſentit opem.
Difficili in partu mulier tua numina poſcens,
Soluitur, actutum languor & omnis abeſt.
In medijs ſi quis te ſupplex ignibus orat,
Nil ſibi Mulciberis flamma nocere poteſt.
Inuocet obſeſſus multo latrone viator,
Effugiet laqueos, effugietq́; necem.
In cunctis terrę cunctis pelagiq́; periclis
Pręſto es, mortales propitia atq; iuuas.
Nec ſolum hic noſtros caſus miſeraris, olympo
Quinetiam infirmum dextra tuere genus.
Intumuit ſi forte tuus ſi ceperit iras
Filius, atq; quatit terq́; quaterq́; caput.
Atq; ideo in populos vltricia fulmina tentat
Mittere, & in noſtras ſpargere tela domos.
Flumine deciduo aut latas immergere terras
Funditus & vaſti clauſtra aperire maris.
Tu genua amplexata tui pia mater Ieſu,
Blandiloquas ſancto fundis ab ore preces.
Per tot quos paſſa es nocteſq; dieſq; labores,
Herodem fugiens dum pharia arua petis.
Et quando ſolymo tranſfixum pectora ferro
Vidiſti, atq; animam reſtituiſſe patri.
Flectitur iratus te dante precamina ſoter,
Atq; ſua arma altos conijcit in ſcopulos.
Lethiferamq́; luem e noſtris regionibus arces,
Atq; famem, & dirę ſemina cuncta necis.

Ergo potens Regina orbis deſiſtere noli,
Ne humanę prolis linque patrocinium.
Quæ ſpes, quæ ue ſalus & quæ ſolamina reſtant,
Si ſolita nobis non pietate faues?
Absq́ gubernaclo ſpumanti vt marmore puppis
Te ſine, quam in Syrtes turbidus Auſter agit.
Dia faue, populumq́; humilem & ſua crimina flentem
Conſpice, peccati pœnituiſſe ſat eſt.
Conſpice ſidereo quo ſoluis nubila vultu,
Sternis & vndiſoni vimq́ minaſq́ ſali.
Quo tempeſtates eoo turbine motas
Diſijcis, & madidi viribus vna Noti.
Dirige & errantem inferni prope Regis hiatum,
In rectum tutę virgo ſalutis iter.
Neſcio quid terris ſtellata minetur olympi.
Regia, & arctoi ſidera fuſca poli.
Neſcio ſanguineo quid decolor Heſperus enſe
Horrenda armatus nunciat atq́ face.
Non Augur non aſpectis qui conſulit extis
Atra quid oſtendat Delia ſcire poteſt.
Quid tres diuerſo viſi modo lumine ſol es,
Paulatim inq́ vnum qui coiere globum.
Crudele atq́ atrox arſit dirumq́; Cometa,
Irarumq́; Iouis ſigna verenda dedit.
Raucíſonum haud temere auditos toties vlulatum
Concubia obſcenos edere nocte Canes.
Scilicet eſt aliquid proceras fulmina turres
Cęleſtum magnas & tetigiſſe domos.
Pallenteſq́ virum per vaſta ſilentia formas
Triſtia ferali bella ciere tuba.

Et quidam aſpectu cano & venerabilis æuo,
Aetherea miſſum quem reor eſſe plaga.
Qui ſolitus tenui ieiunia ſoluere victu,
Altum ſyncero pectore numen adit.
Indixit vitijs bellum, caſtuſq́ꝫ, piuſq́ꝫ
Noſcit ab excelſo quid ferat hora die.
Incipit, aſpicio tot beoæ millia gentis,
In terram quot dux Attila perſa tulit.
Aeneadumq́; vrbem longa obſidione teneri,
Raptari auſonias crinibus atqꝫ nurus.
E matrum pueros gremio diuellier, atra
(Infandum) & ſacros cęde madere lares.
Pontificemqꝫ pium vinciri, & lilia galli,
Arſacidę pede ſub principis alba premi.
Vndiqꝫ graſſantes pauet en germania Turcas,
Terga dat admiſſo dux Alemanus equo.
Ingemit abreptis tot iberia lata triumphis,
Et iuga pyrene flectere cęlſa parat.
Deteriora tuor. ſed nec mihi cuncta profari
Fata licet, prohibent Cęlicolum imperia.
Poſſe fugi dominus dedit hæc genitricis honore,
Tres & in obliquum voluere fila deas.
Vnius precibus Mariæ tot dura laborum
Fulmina, vincla, neces longius ire volet.
Non gens Martyrij pulchra redimita Corona,
Vſqꝫ vel incolumi virginitate nitens.
Pennatuſq́; vigil rutilanti in veſte miniſter,
Fidus ſæuorum in prœli aterrigenum.
Finibus eſt potis a latijs auertere clades,
Soteris ętherni numina ſancta rogans.

Sola valet virgo trepidis ſuccurrere rebus,
Depoſitis vitam & tradere corporibus.
Gens cęca hinc animoſq; humiles, menteſq; quietas
Ortę Dauidis germine porrigite.
Formidanda ęſtro perculſus corda furenti
Fatiloquo ore Catus dixerat Iſta ſenex.
Illachrymantq; mares, & fœmina paſſa capillos,
Vt mala nanq; potes, pellere ab orbe velis.
Si quid & aduerſi mortales ferre neceſſe eſt,
Ante oculos nato turba rebellis erit.
Quæ non admiſit proles Machometica Chriſtum,
Sentiat vna famem, fulmina, bella, luem.

Ad Lectorem.

SI quem viroſo lędit mea pagina morſu,
In ſe nemo precor credere dicta velit.
Non aliquem ferio in ſpecie, vibrataq; noſtra
Neſcio quem erranti carmine tela petunt.
Sic placet ambiguum iuueni variare poema,
Ceu mihi ſuadebat. Calliopea vago.
Ordine Naturam perhibent procedere pulchro,
Quod ſoleat varia cuncta nouare vice.
Finxi hominem vt finxit quorundam ſecta Sophorum,
In quo noſtra aliquid carmina turpe notent,
Scilicet a vitijs vidi diſcedere multos,
Quòd ſua in atra alijs carpier auſa vident.
Non infamandi ſtudio deſcripſimus illa
Vllum hominem, quãuis labe notatus eat.
Audeat hæc fateor ne quis culpare tribunal
Ante altum extremo tempore virgigenę.

Ad Marcum Antonium magnum.

BEtigena vrgentem miles debellet vt hoſtem,
Supponat duro victaq́; colla iugo
Dona vouens oro terræq́ poliq́ Monarcham,
Vinatur, admiſit Iuppiter ipſe preces.
Vt princeps quo nil noſtro laudatius æuo eſt,
Ob niueos mores ditior extet auis.
Cæſaris & pietas æqui indulgentius adſit.
Vt patriam & patruum exornet honore ſuum.
Tertia cura ipſe es, ſi forſan Magne requiris,
Quid cœli precibus numina deinde petam?

De Natali Chriſti Domini.

SAlue ſancta dies, ſuperis qua miſſus ab oris
Editus e pura virgine Chriſtus adeſt.
Aer atq́; polus radianti luce coruſcent,
Totum hilari facie rideat atq́ ſolum.
Haud freta concutiant horrendo murmure venti,
Sed leni ſpirent flamina cuncta mora.
Naufragij nullos timeat quo nauita caſus,
Nec detur viridi picta tabella Deo.
Exoriente deo ſolito grauiora Colono
Spondet terra ferax ſpicea dona ſuo.
Fundant aeriæ modulamina grata volucres,
Nec ceſſent numen voce ciere bonum.
Nunc placidis Philomela modis, nunc vernet hirundo,
Dulciſonis numeris cantet & albus holor.
Pſittacus humanas reddit qui voce loquelas,
Expromat læto mitia verba ſono.

Zelotypę necnon Iunonis concinat Ales,
Spargere dulce paret garrula pica melos,
Ad ſacra digna cohors veniat, cedente prophano,
Qui cupit imbutas ſanguine ferre manus.
Ingeminent hymnos pueri dulcedine mira,
Sancta puellari carmine templa tonent.
Longęuiq; ſenes plaudant, canat ipſa iuuentus,
Pulſet arioniam candida turba Chelyn.
Quodq; ſibi toto nunquam conceditur anno,
Reddere nunc potis eſt tertia ſacra Deo.
Cinnama cũ Myrrha Nardi cumulentur Ariſtę,
Atque palęſtinis balſama miſſa iugis.
Torreat & Caſias & Amomi flamma liquorem,
Flauaq; Thura ferat plenius ignis edax.
Pinguis & ante aras feriatur victima cultris,
Victima quae lactis non patiatur opem.
Nec nos pœniteat validos mactare iuuencos,
Qui cornu ſtimulent robora dura ſuo.
Hæc clitumnęi ſubeant altaria Tauri,
Quiq; bibunt flauas crathidis amnis aquas.
Sit procul at cautis doctus qui ſpectet haruſpex
Exta oculis. non vult hæc ſibi tanta dies.
Annua quæ nobis domini ſolennia nati
Et veneranda orbi quæ ſtato ſacra nouat.
Ex oriente Magi veniunt, puerumque requirunt,
Et portant Regi munera grata ſuo.
Myrrhea dona ferunt, atque auri pondera fului,
Et pia quæ mollis thura Sabęus habet.
Præuia ſtella loco quæſito ſiſtit euntes,
Quem dicat panis Romula lingua domum.

In promptu cauſſa eſt, ferali carcere ab atrę
Vt ſtygis humanum vindicet ipſe genus.
Tempore nam vetitum quo carpſit cęca virago
Pomum, almi violans iuſſa verenda patris.
Altitonans ſęuos turbatus corda dolores
Ad terram peſtis miſit & omne genus.
Poſteritatem Adæ triſti mors improba vultu
Terruit, heu luit admiſſa parentis homo.
Qui tantum Dęmon fucatus perſuaſerat, ægrum
Certabat paſſim perdere velle genus,
Mentibus humanis laqueos tendebat opertos
Subdolus in Barathrum cuncta creata trahens.
Cyrrhęo ex adyto phębas furibunda canebat
Corniger & libyco fata futura ſinu.
Chalcidico necnon vates longęua receſſu,
Cui dederat ſummam credula turba fidem.
Callidus hoſtis erat perplexo murmure vocis
Venturi gnarus neſcia corda premens.
Dęmona verſutum nullo prohibente colebant,
Tradebant falſis pręmia multa deis.
Relligio in cęno fuerat pia merſa profundo,
Sordebant fędo numina ſancta ſitu.
At poſtq̃ fidei miſeratus nubila Chriſtus,
Virgineo voluit membra fouere ſinu.
Delphica fatiloqui ſiluere oracula phœbi,
Phęmonoe nullo conſulitur'q; loco.
Filia non Glauci, non chaomæ'q; columbę,
Hammonem ſteriles non Naſamones habent.
Oppreſſus rerum domino teterrimus hoſtis
Deſeruit turpi regna ſubacta fuga.

Nos igitur tanto ſemper pro munere grates
Reddamus magno magnaq; dona Deo.
Humani vindex generis qui Dæmonis atri
Duxti ad cęleſtes lęta trophęa domos.
Mundi Chriſte ſalus, animarum Chriſte receptor,
Quàm patet o numen dextra potenſq; tua eſt.
Qui tibi perpetuo ſpiramus pectore voti,
Oramus, noſtri quo meminiſſe velis.
Cumq; graues placatum Telluris ponere ſordes,
Hinc via ad ęthereos ſit data recta choros.

In Ignarum profeſſorem
& malum Poetam.

Doctor getrarum, madidę cultorq; propinę,
Grande Magiſterij dedecus o latij.
Grammaticam & vatum profiteris ſenſa ſacrorum,
Et nondum noſti quo pede verſus eat.
Haud proprio accentu profertur ſyllaba, curtum
Producis, contra Barbariemq; ſonans.
Carmina ſi neſcis tua ſunt & thure minuto
Et Scombris ſunt & ſtercore digna quidem.
Supheni & voluſi quoniam peiora notantur
Nugis tardipedi carmina danda Deo.

De Marcella Dialogus.

Est fateor formoſa nimis Marcella, ſed vrſa
Sęuior, arctoo frigidiorq; gelu.
Formoſa eſt blandos at quæ non ſentit amores,
Haud equidem dici bella puella meret.

De Flauio & Fuluia Dialogus.

HEu exeſa vigil lacerat pręcordia mœror,
Affligitq; grauis ſaucia membra labor.
Tigridis at veluti ſuxiſſes hubera fœtę
Sæua es, nil noſtris ingemis atq; malis
Cauſa eſt, ſuſpiras alios immitis amores,
(Vt video) incępti pœnituitq; leuem.
Perdidit arma puer iãdudum iniuſta proteruus,
Inq; ſuis manibus non niſi tuſta manent.
Proh dolor, auſa coire iugalis fœdera lecti es?
Proh dolor, & noſtri non memor eſſe potes?
Quo pudor it? viues ruſtri nupta marito,
Vomere qui tantum ſcindere nouit humum.
Fluminis attiguas iuxta Aeſari & hiſpidus vndas
Paſcere ſetigerum capriger umq; pecus.
Cymbia lactis erunt optatę munera noctis,
Quem dura cogit caſeus atq; manu.
Sertaq; frugiferæ cereris flauentia, necnon
Roſcida quæ auctumno diuite mala legit.
Non bene conſpicuo proauorum ſtemmate felix
Vxor cum generis iungitur vlla inope.
Non bene cum fuſco ſociatur candida, non eſt
Pulchraq; deformi fœmina danda viro.
Ruſticus vrbanę tractabit coniugis artus?
Infans facundę baſia carpet amans?
Et tanget populo teneras ridente papillas?
Et premet aſſidua lactea colla manu?
Semper męſtus ero, ſemper mea pectora plangam,
Inq; meis oculis vnda perennis erit.

Infelix patior miſerę mala plurima vitæ,
Suntq́ moleſta nimis tempora longa mihi.
Hoc cunctis primum pateat volo, viuere q̃ ſic,
Optarem potius funera mille pati.
Poſthac non feſto velamine contegar vnq̃,
Nec cinget digitos Conchea bacca meos.
Incomptumq́ geram (ſic vult Rhamnuſcia) crinem,
Sordida nec liquidis ora lauentur aquis.
Nam te quę quondam toto me ſanguine amabas,
Nititur a noſtro flectere iniquus amor.
Spes mea parce animum mœſtis torquere querelis,
Ignibus ardentes addere parce faces.
Corruat ante ſoli moles, & machina Cœli,
Quàm tuus e noſtro corde recedat amor.
Quãuis centenos pylij ter Neſtoris annos
Et ſuperem Trois plurima luſtra ſenis.
Sponte mea ille cebras nollem tolerare iugales,
At gemini in tedas iuſſa parentis agunt.
Non tamen ingratus noſtros Hymenęus amores,
Vecta aue nec rapiet verſicolore Dea.
Vſq́ adeo puer inſanus me perculit, vt te
Eualeam nulla deſeruiſſe vice.
Candida præcipue placuit mihi frontis imago,
Et coma de ſummo vertice flaua cadens.
Atq; oculi blandum ſpectantes, ſuadaq́; fandi
Semper mellifluo gratia in ore ſedens.
Saucior extemplo funeſto vulnere, quando
Purpureo vidi flore rubere genas.
Et quo ſentires percuſſi vulnera cordis,
Lena meo ſolers nomine verba tulit.

Lintea quinetiam varijs intexta figuris
Quæq; ornant niſi tegmina picta caput.
At tu ſæpe dabas mihi ſerum vellera, quæq;
Diuite ab oceano lucida gemma venit,
Plurima contulimus, plura & potiora ſuperſunt,
Quo mage noſter habet progrediatur amor.
Neſcia non ſum. ſed genij bona numina iuro,
Atq; per alati tela faceſq; Dei.
Melle Cytheriaco ante virum donabere, primus
Exuuias noſtræ virginitatis habe.

In quendam.

INceſtam damnans venerem non comprimis vnq̃
Linguam, ſed natam comprimis vſq; tuam.

Ad Leontem amantem Seruas.

COmmoda quæ ancillæ donarunt gaudia: temne
Seruarum amplexus, dilige & ingenuas.
Hæ ſuadent rebus famam ſolet eſſe gerendis
Quæ telum, paruo munere negligere.
Quam qui homicida facit nihili dicatur oportet,
Iudice me dignus ſupplicio atq; graui.
Commaculas vitio generoſos ſtirpis honores,
Infelix geminum polluis atq; genus.
Vt viden extenſo te ſignent indice ciues?
Ludibrium ſæcli fœmina virq; vocet?
Sileni & longas vectoris porrigat aures
A tergo? tale at fingis habere nihil.
Ni vitæ linquas ſeriem callemq; pudendæ
Cum turpi venient damna dolore tibi.

A fortaſſe foro & ſacro excludere ſenatu,
Vllus & officij non tribuetur honos.

Matris in Filium pietas.

VRebat limum fornacem Mulciber intus,
Huc ingreſſus erat ſcitus & ante puer.
Ingemit, & pauido miſerabilis ore parentum
Poſcit opem, mos qui paruulus eſſe ſolet.
Frater adeſt geminus, tandem deſperat vterq;,
Vulcani e medio turbine poſſe rapi.
Attonita hæc genitrix poſtq̃ conſpexit, ab alto
Detonuit vocem pectore. Nate peris.
Nate peris, te flamma vorat, te corripit ardor
Hoſticus, haud tali funere digne mori.
Ignitum hæc memorans turbato corde caminum
Intrat, dant arctas ora puſilla vias.
Extentis palmis incendia tranſilit amens,
Illęſumq; Deum munere pignus habet.
Emittitq; foras anguſto tramite, nullam
Paſſa luem, ſæui damnaq; mulciberis.
Pręrapidos dictu mirum contempſerat ignes
Mater, ſecuro & pectore frater erat.
Omnis cedat Amor, longe pietaſq; ſuceſſat
Cętera, ſola poteſt ſumere fata parens.

De Diuite, & auaro.

QVi pauper natus nunq̃ largitur egenti,
Poſſideat quãuis poſtmodo Regis opes.
Formidat primę ſemper diſcrimina ſortis,
Quot ſit pauperies nouit aperta malis.

Quærit, & in terræ penetralibus occulit aurum,
Vſui & eſt nulli, nec ſibi, nec ſocijs.

Ad Aegidium lacuum Theologum.

Gentibus oſtendis vitam ſermone beatam
Fulmineo, ętherni iuſſa facisB Iouis.
Te inſinuante patet ſupremi Regia Cęli,
Ad Natum Maria teq́; docente via eſt.
Inſidi veluti ſuperentur lubrica Mundi
Noſcimus, inſani atq́; atra procella ſali.
Noſcimus vt ſtygię vitetur flamma gebennę,
Aethernuſq; horror, continuuſq́ labor,
Accedis proprius diuos, ſummumq́ tonantem,
Nilq́; latet decimi quod ſit in arce poli.
Flecte oro excęlſi placidum prece numen Ieſu,
Aduerſa vt noſtra longius vrbe fuget.
Vndiq́ circũſtat ſtricto gens aſpera ferro,
Obſidet inde fames, tabida & inde lues.

Ad Franciſcũ galliarũ Regẽ.

Iure animoſa feris oſtendis pectora bellis
Franciſce, atq́; armis agmina tota premis.
Hectoreum genus eſt, proauitas ſcilicet iras
Spiritus, & robur ſtrenua membra gerunt.

Tumulus Colectę ferrarij legum doctoris.

Qui phœbum caſto geſtabat corde Colectas,
Qui ſat Ciuili iure peritus erat.
Qui toties laſſos defendit voce clientes
Litibus, inſani ſurripuitq́; neci.

(O dolor) eſt fati manibus præreptus acerbi,
Illachrymat paſſim fœmina, virq́ gemit.
Conceſſum cineres atq́ huic operire ſepulchro,
Aetherea fruitur ſpiritus arce pius.

Ad Ciues Pſychronzos.

QVis tremor o Ciues? vbi nam ſat nota periclis
Vis animi, in duris pectus & intrepidum?
Haud hoſtis noſtros nudo ſubit enſe penates,
Sunt eadem ambobus ſigna, eademq́ fides.
Tutela Auguſti nos Imperioq́ tenemur,
Illius Hiſpanus ſubijciturq́ manu.
Pandite quæſo fores vrbis, ſinite intret amica
(Conſulitur vobis) vnanimiſq́ cohors.
Hæc celtus Calabris furibundos finibus arcet,
His in lege armis iuſtitiaq́; ſumus.
Hæc fuſo amiſſam peperit modo ſanguine pacem,
Hæc lapſa erexit, perdita reſtituit.
(Fertur vt) haud ædes ſpoliat, rapit atq́; puellas,
Credite neu vanis vocibus, & fatuis.
Aſturicæ in ſocios non comiſere cohortes
Hoſtica qum irrumpunt ſed modo tecta, nefas.
Quod temere inuaſit corpus depellite frigus,
Mitis miles adeſt, & bonus, atq́ pius.
Quæ bona duxiſtis (patet) extra mœnia, tuto
Ferte domum, & maneat fœmina nulla foris.
Sit mollis quæſita Ceres, & dulcis Iacchus,
Sit nitidus pluma ſtratus itemq́ torus.
Sin aliter raras acuetis Cæſaris iras,
Puniet & veſtram deniq́ perfidiam.

Ad amatorem ridiculum.

QVa tegeris madidę ſunt plura foramina veſti,
Q uàm conuexa poli nutriat aſtra ſalum.
Q uàmq; cadant tenues animoſo turbine frondes,
Voluatur Libyco q̃ vel harena mari.
A gelida nequeas qum vi defendere corpus,
Nec detur craſſam quærere poſſe togam.
Cur nitido demens captum te fingis amore?
Veſtibus ornatos fœmina quærit amans.

In eundem.

COgeris eualeas aulas ambire potentum
vt mendicato pane leuare famem.
Fare age, ni tędet cur vis opulentus haberi?
Traducit populus ſtultitiam inde tuam.

Deploratio obitus Iani Mariæ Murgij.

CVr te conſpicuo lethali vulnere foſſum,
O decus, & patriæ cura dolorq; tuę?
Sæuijt infenſis in te Mars impius armis.
Et cęlſum rigido perculit enſe caput.
Innuba gorgonea quæ protegit ęgide pectus,
Contorſitq; haſtam facta inimica Dea.
Bellanti metuens fuit exitialis enyo,
Ne ſibi certandi gloria rapta foret.
Sic ſic. humani poterant non perdere nerui,
Vſq; adeo inuictis viribus acer eras.

Hæc an vana animus fingit, ſi apulia vidit
Innumeris cinctum prœlia iniſſe viris?
Fulminea aut paucis gelido tua dextra timori
Ante fuit, quæ nunc languida inersq́; manet.
Heu ſine voce iaces mutum atq; informe cadauer,
Et facies omni eſt orba nitore decens.
Heu vbi ſunt flaui crines? vbi frontis honores
Altę heu florentes interiere genę.
Heu vbi ſunt alacres oculi? quis ſidera Cœli
Ceſſiſſent, necnon lampas Apollinea.
Omnia mors rapuit, niueo ſuffuſus in ore
Heu vbi puniceus flammeus atq; color?
Mitiaq́; vrbanis ſalibus tua verba refertas?
Nullus erat lepido gratior eloquio
Et validę vires? & robur robore maius
Herculeo? & velox præpetis ala pedis?
Pernicem curſu poteras ſuperare Camillam,
Et ladam, eſt multis quæq; cupita procis.
Arcta ſi optaſſes corpus tenuare palęſtra,
Dixiſſent cuncti quippe lacona virum.
Fas mihi vera loqui, venturo fortior æuo
Aut mage formoſo corpore nullus erit.
Strenuitas tecum, tecum decor omnis abiuit,
Et gratus viduo ceſſit ab orbe lepos.
Auida liquiſti mœſtis ſuſpiria nobis,
Nocte die imo quæ corde petita damus.
Puluerea geminos atratos labe parentes
Aſpice fœdantes turpiter vſq; comas.
Poſthabita hi vitam tentant abrumpere luce
Aetherea, & comites manibus ire tuis.

Aſpice dilectos tundentes pectora fratres,
Pectora iam varijs liuida facta notis.
Aſpice ſemianimes ob triſtia fata ſorores
Indomito roſeas hymbre rigante genas?
Ante fores patrias feralis cernitur arbor,
Eſt cordi mœror, gaudia nulla iuuant.
Da cur non aperis ętherna lumina nocte
Multata? o ſerus talia noſſe dolor.
Da cur quæ lachrymis dicuntur carmina ob ortis
Reſpuis, & Zephyros irrita ferre ſinis?
Qui tibi nunc accepta refert pia munera vitę
Dat gemitus princeps, ſurdior ipſe Saloes.
A Ioue miſſus eras, manibus diſcrimine mortis
Vt defenſa tuis vita fuiſſet heri.
Aſt efflare animam vetuit certamine duro,
Fata indigna vrgent, exuperantq; deum.
Tantum vnum en recipis ſublimi in vertice vulnus,
In ſecreta animæ proh ſcelus illud abit.
Non tamen o Maria infelix mactaris inultus,
Sunt a te centum vulnera facta viris.
Procubuere acri pugnantes robore tecum,
Miſſa eſt inferno victima multa Ioui.
Eſt tibi & Oebalium exhauſtum bellante Tarentum,
Salentina manus nouit & ora tuas.
Hinc tua poſteritas mirabitur inclyta facta,
Laudibus & cœlos nomen ad vſq; feret.
Corpus humi iaceat, fiat cinis atq; puſillus
Non moritur virtus cuncta per ora volans.
Exempta eſt fatis, & ſupra funera nigra eſt,
Et piceos manes expauet illa nihil.

Ad Marcum Antonium magnum.

MVltam animæ partem, mitem geniumq; recedens
 Theſeos heu nullo motus amore, rapis.
Mæſto turbabunt ęgram mihi triſtia mentem,
 Donec eris Calabris diſſitus ipſe locis.
Non epulę ſapient, veteri non plena Lyęo
 Pocula, non ſomnus membra fouebit iners.
Cui noſtra aſſiduo mittetur epiſtola curſu?
 Vnde mihi veniet littera miſſa iocis?
Quæ valeat ſeras animi depellere curas,
 Et dare ſollicitis tempora blanda malis.
Odi Caſtalidas diuum rutiliſq; decorum
 Crinibus, eſt odio cornua fronte gerens.
Non iuuat inuentis operam nauare modeſtis,
 Diſplicet antiquum noſcere velle Sophos.
Ibis, nec chari lachrymis flecteris amici,
 I tamen, adq; tuos Magne diſerte redi.
Magne redi ſoſpes præſtanti munere functus,
 Aequi compoſitis vndiq; rebus Heri.
Aſpicies alpes pulſantes vertice olympum,
 Ardua durato atq; obſita ſaxa gelu.
Ductoris nimios miraberis atq; furores
 Barcęi, ſunt cui pernia facta iuga.
Qum patriam repetes vrbes narrabis Iberas,
 Atq; mihi ritus idem habituſq; virum.
Sunt loca quæ refugo circũuallataq; ponto,
 Aurum animę labem quęq; fluenta vehunt.
Vade hilaris, multum decoris labor iſte reportat,
 Hinc venient (video) commoda mille tibi.

Hinc aditus dabitur, poteris quo ſcandere Cęlſa
Culmina, ſublimi ſiſtere & arcę pedes.
Non metuas populi duros moreſq; ferocis.
Intemeranda omni nomina nanq; geris.
Prorſus inermis eas quãuis per Gallica caſtra,
Legatum audebit lędere nemo pium.
Sceptrigero tamen haud humili mandata iuberis
Deferre, at cuius Thracia ſigna tremit.
Cui tota occidui paret ſolis plaga, cuiq;
Nubifero adſurgit ſubdita terra noto.
Cardinis Heſperij rector placidiſſimus ille eſt
Cęſar, prole ſatum quis neget eſſe deum?
Marmaridum qui nos a ſæuis vindicat armis
Chriſtigenas, verę Relligionis amans.
Sed minime cęlor poſtq; te fouerit Aſtur,
Principis aſcendes tectaq; gallaici.
Allectus digna ſacae, variaq; camęna
Carolus eloquij doteq; verba feret.
Poſſideant decus vt modica tam grande penates
Non decet, imperijs congruit iſte meis.
Inde abeas nunq; patietur, Ianitor aulę
Auguſtę cunctis ſuſpiciendus eris.
Humani ſoliumq; Iouis prope Magne ſedebis,
Poneturq; humeris ſarcina honora tuis.
Orbe licet longe fueris diuiſus heoo,
Nos tamen haud labi pectore quæſo ſinas,
Aſt ego qum verno ſoluentur prata tepore:
(Ni fata obſtiterint) extera regna petam.
Acrius vt didiciſſe queam, male terminat ęuum,
Fas putat in patrio viuere quiſq; ſolo.

Si latiam nunꝗ̃ liquiſſet Iulius vrbem,
  Non ſibi bella ciens gallia victa foret.
At ſuperos teſtor, faciet me nulla locorum
  Conditio immemorem dulcis amice tui.

De dolore ſuo.

DVm digitis tumido torquetur cancere noſter,
  Poſtpoſita eſt ſeuę vita moleſta neci.
Inuidia in manes nigro poſitoſq; ſepulchro
  Vrgeor, & nitidę tędia lucis habent.
Felices ſilices, felicia ligna, beatos
  Arentes calamos, arboreaſq; comas.
Expertus toties ſum ardores febris anhelos,
  Inteſtina graui lęſa fuere malo.
Tot paſſus morbos, tot paſſus & ante dolores,
  Exuperat damnum ſed dolor omne recens.
Optarem ſumpto mortem properare veneno,
  Aut gladium triſti figere corde trucem.
Ni cupidum infernus prohiberet ſæuior orci
  Pœna mori, Minos injiceretq; metus.
Quàm bene crudeli ceciderunt Marte tumenti
  Quàm bene ſunt paſſi non ſua fata mari.
Spiritus ex imo gemitus dat pectore feſſus,
  Mœſta anima illachrymat vulnera iniqua ferens.
Phœbe precor medicis fer opem mitiſſime ſuccis,
  Et tua progenies morbida damna leuet.
Extincta eſt viuax calidi ſcintilla, dolorum
  Turba (date auxilium) reddidit exanimum.
Vt Leo rugit atrox cruciatus, ſpemq; ſalutis
  Aut nullam aut tenuem monſtrat ineſſe mihi.

Articulis gladios, rapidos atq; admouet æſtus,
Inq; horas videor pene ſuprema pati.
Siſte tonans rabiem morbi, vel fulmine mœſtum
Scinde caput, pœnas mors violenta feret.

Ad Iacobum Caſoperum.

QVi ſtomachi rabiem ſemiuſti extinxit acerbam,
Arentem pepulit longius atq; ſitim.
Non mulſum, non nectar erat, non lacteus humor,
Non quod odoratus pharmacopola tenet.
Conſule ſeruatum Mario non dulce falernum,
Perpetuo florens non dat Hymettus opem.
Hauſtus fonte latex ægros vegetauit at artus,
Graſſandi morbo præripuitq; vias.
Quod non auxilium fomentaq; crebra medentum,
Quod non viuendi regula, lympha dedit.
Ergo nulla tibi generoſo gratia ſucco,
Nullaq; fumoſis gratia habenda cadis.
Pallorem e vultu veterem ſatiemq; fugauit,
Eſt viuus membris redditus atq; color.
Et deſyderium cępit ſine fine vorandi
Cœnam omnem, tandem contulit omne bonum.
E menſis Iacobe tuis depelle lyæi
Munera, aqua tantum pocula plena bibe.
Potoriq; auido marcentia vina relinque,
Nunq; Thyrſigero ſacra referq; Deo.

Ad Dominicū Suſannā Theologū.

INuideo fateor veſtrę pater optime vitæ,
Quæ ſcelerum maculę neſcia tuta manet.

Fautores meruitq; deos, inimica prophani
Exuerem ſæcli tegmina, blanda vetant.
Contraxere grauem veſana ſuperbia morem,
Et luxus, plactis diſtrahor vſq; malis.
Ora igitur ſuperum rectorem, dirigat in me,
Vt pia virtutis lumina ſidereę.
Exaudit iuſtos etenim, ſurduſq; nocenti eſt.
Quas dederis capiet (ſtat mora nulla) preces.

Ad Aureliam Caſoperam ſororem.

FOrmauit modicam ſi te Natura lepores
In vultu gratos at poſuit charitum.
Iucundam aſpectu faciem decorauit, vt omnes
Inter formoſas pulchra decenſq; fores.
Quinetiam ingenij ſpeciem muniuit honore,
Moribus vtq; dedit conſpicerere pijs.
Adde q̃ eualeant crepidę auxiliarier altę,
Suberis exiguum corpus habebit opem.
Proceram ſenij tantum mora longa coheręt,
Haud aliter minues qui datus ante, modum.
Grandia membra alijs placeant, mihi curta probantur,
In noſtro maneat nupta puſilla toro.
Ergo ſolue animo vanas Aurelia curas,
Laudare & magnas deſine, tu potior.

Ad Deianyram Aquinatem Sanctæ Seuerinæ comitem.

IVre colunt homines, amat & te numen olympi,
Totius numeros nam probitatis habes.

Eſſe alij haud poteras digne coniuncta marito,
Quàm Galeoto equidem Deianyra tuo.

Ad Lodouicum Angerianum
legum doctorem.

FAma refert Calabrum deſerta quã regis, ora.
Quãprimum antiquam viſere velle domum.
Cauſſa bona eſt, patriam externis præponere terris,
Viuere cum natis, coniuge cũq; proba.
Diuitias laudo rebus præferre puſillis,
Nobilium & lateri ſemper adeſſe virum.
A duce ſed nullum aſpicio cui credita bonori
Digna gubernacli munia reſtituas,
Hinc vbi decedes caſuras protinus arces
Vertenda atq; imo mœnia cerno ſolo.
Noſter abeſt longis Magnus ſemotus in oris,
Principe cũ heſperio munera magna gerens.
Hic poterat paribus tutari viribus vrbes,
Sedulitate eadem, conſilioq; pari.
Ni tua luctificam pellat prudentia peſtem,
Irrumpet, cunctas en tenet atra vias?
Quo quo durus abis? noſtras cui linquis habenas?
Cui tibi centenus deſeriturq; cliens?
Teq; ſenes poſcunt defecti grandibus annis.
Te iuuenum voto ſedula turba petit.
Auxilij pupillus egens, viduęq; gementes,
Ne ſibi deeſſe velis voce tremente rogant.
Et qui diuitibus vexatur pauper auaris
Nominibus, quem multum ęra aliena prę munt.
Hic mœſtum ſine te reliquum mihi tempus agetur,
Quo cũ motum animi ſæpe leuare grauem.

Diſcipulos faciam miſſos, ſchola nulla placebit,
Ergo mane, noſtri es plurima cauſa boni.
Sic luſtris cumulet carum felicibus æuum
Iuppiter, atq; ſenem nupta fouere queat.

Ad Petrum Caſoperum fratrem.

Mars animis acrem te frater deſtinat armis,
Læuę adhibet parmam, cingit & enſe latus.
At formoſa ſuum exorans Cytherea gradiuum,
Hunc mihi ait Mauors bellicæ trade virum.
Noſter miles erit, paphia luctetur harena,
Sint ſibi cum molli prœlia ſæpe choro.
Mars dedit, & quid non veneri e largirier auſit?
Fœmina inde moues pectora factus amans.

Aduerſarium quidam alloquitur.

Forſan ſtulte putas inceſtę furta maritę
Millia quæ cunctis occuluiſſe patent?
Si qui te incenſo currucam corde vocaui,
Arceſſis. dubio me inſimulaſq; foro.
An ne parum fuerat populo exaudirier, eſſet
Ni fœdum prætori agnitum adulterium?
Publica laſciuę ſi ſeruent coniugis acta
Concubitus, nitidum credis habere decus.
Falleris, en aures populus demonſtrat aſelli?
Et linguam exertat, collaq; curuat auis?
Nobilitas ridet, plebs indulgetq; Cachinno,
Conſilium illudit fœmina virq; leue.
Quis ſic conſuluit? num proditor ille nefandus
Eſt qui fronte æquus, corde odiumq; tegit?

Ille domum probro multauerat ante pudicam,
Et noſti, tectis attamen vſque foues.
Intima ni ſapies, ſubuertet perfidus aulę,
Et caſto inijciet crimina fęda toro.
Sed qui ſæua tuis incendia paſſus in aruis,
Securus certe proxima damna feres.
Pelle procul, magnos tenuis ne ſuſcitet ignes
Scintilla, & totos vrat vtrinque lares.
Faſidicos ſaltem rumores ſparget in auras,
Vanus & audebit commaculare probas.
Audiet hæc vulgus, ratio cui nulla, putabit
Vera eſſe, errores credulus hoſq; bibet.
Dein, labem officium delebit cordis honeſti
Nullum, ſic quondam ſic hodieq; putat.
Credita quandoquidem initio durare videbis,
Contra conſliterint millia multa licet.
Iudicibus quereris, mœſtuſque infame rependis
Aere malum, reris vincere, damna facis.
Probrum nulla dies non vllum deteret æuum,
Argento vendis diuite inepte decus.
Damnabor nunquam, vel ſi facunda Trebatij
Lingua iuuet cauſam nocte dieque tuam.
Scæuola patronus veniat, Pomponius adſit,
Romuleo faueat iureque quiſque Catus,
Abſoluar, teſtes dictant me vera locutum,
Quis contra hos Iudex vertere iura queat?
Ingratos gemeres quamuis impendere nummos.
Quo tua rumpantur viſcera, lętus eram.
Nunquam adij ipſe forum, te inuito curia nullo
Me reſpondentem viderat æqua die.

Legitimus cauſç defenſor ſumpſit habenas,
Nomine ab ipſa alio lis agitata meo eſt.
Conſilium menti ſtolidum fuit, omnia turbas,
Et tibi fortaſſis bellus haberis homo.
Non ita ſuaderet ſanum cuicũq; cerebrum,
Et cui iudicij portio ſi qua foret.
Non et, quæ caſtas inter cenſenda puellas,
Et magę formoſas Nectara ſenſit idem.

Ad Coſmum baſanum Sacræ Theologiæ doctorem.

O Calabrum decus, & patrię non parua voluptas,
Sublimi qum te culmine ſuſpiciat.
Non ita defleto Mater ſatis anxia nato
Lętatur, poſtq̃ nouerit incolumem.
Non ita iactatus pelago impellentibus auſtris
Tutus vbi optatum nauita calcat humum.
Quantum ego te euganea victis tot caſibus vrbe
Digreſſum, patriam ſoſpite adiſſe pede.
Nec rediſſe ſatis, quin pallados inclytus armis,
Spirituum nigro bella mnaris Hero.
Edoctus logicen ſophiæq; ęnigmata opertę es,
Cunctaq; ſceptrigero de Ioue ſenſa patent.
Qum laudem extollis, probrum culpaſq; nefandum,
Facunda Chriſti vulnera voce gemens.
Quid non magnus agis? quod cinctum marmore pectus
Ferrea quænam mens dura manere queat?
Audiat orantem gętulus, Turcaq;, pur i
Abluet actutum crimina fontis aqua.

Atque renaſcetur ſacro baptiſmate, vitę
Integer, & totum deſtruet Hypocriſim.
Incola niliacus falſum clamabit oſyrim,
Iſidis & temnet numina legiferę.
Turbaque idumęis recutita in finibus orta
Syncęro credet pectore verbigenam.
In latio quisque tanto non detonat ore,
In Solymo vt Cęli parta ſit aula ſolo.
Quin Saulus quem lux diuinitus alma redemit,
Creditur eloquij viribus inferior.
Felix nimirum eſt genitrix, cui contigit ęuo
Tam doctum indocto progenuiſſe virum.
Aethereas nomen qui clarum mittis in oras,
Contentus terræ haud ſiſtere limitibus.
Quem quia verſutas Summani diſijcis artes,
Odit tartareus portitor, atq; Canis.
Perſephoneque dolet multum ſibi iuris ademptum,
Demonſtras recta dum ęthera adire via.
Relligionem ornas, quo nam te carmine tollam?
Claudos tu tantum ſpernere parce modos.
Dignus es Herois numeris, maioreque plectro,
At mihi dat tenues Muſa puſilla ſonos,
Proſpera quæ chari, quæ gaudia blanda parentis,
Hanc ſi adſeruaſſent fata benigna diem?
Si vidiſſe prius quam vita excederet, eſſet
Indultum, mortis lętus adiſſet iter.
Illius at viabus frater, patruusq; ſuperſtes
Fungitur, & caſto prędita corde ſoror.
Necnon qui ac natum amplexatur auunculus, omnis
Plebs tandem & patriæ nobilitasque tuæ.

Ad Thomiſium alimenum Iudicem.

MOeſtus erat Dux ignarum Carraſius æqui
Neſcio quem noſtro præpoſuiſſe foro.
Sed poſtq̃ fidas pęto commiſit habenas,
Proſpera compoſito pectore lętus habet.
Sæpius extimuit, ne qui male cautus in armis,
Turcarum expleret cædibus ingluuiem.
Funeribus miſeram labefactans triſtibus vrbem,
Thebarum vt ductor mœnia Sidonius.
Ne impeteret ue lues, ſæui & violentia morbi.
Squallida ne faceret prœlia dira fames.
Pętus adeſt, regimenq; capit, quo iudice tutus
Iam dormire altum nocte dieq; poteſt.
Conſilio hoſtiles infringet prouidus aſtus,
Et Turcas fundet belligero enſe truces.
Et legum ſollers errorum ſemina tollet,
Laudibus atq; ſuus conſtituetur honos.
Pęnaq́; criminibus, pacemq́; tuebitur almam,
Atq; fidem, pellens noxia ab vrbe bonus.
Porriget hinc nullus męſtas in fine querelas
Officij, cunctis charior vnus erit.
Non opus eſt igitur ſtudio perquirere nauo,
In Ciues Pętus ceu gerat Imperium.
Tam ſublime ſapit, tam grande Aſſeſſor vt illum
Additus in cœſſum nil docuiſſe queat.
Sat ſibi conſilij eſt, ſatis eſt moderaminis, acris
Atq; opere, multum pectoris atq; pij.
Quod vitio poſſet quod laudi noſcit abunde
Vertier, externę haud indigus extat opis.

Ni ſoret hic rerum prudens, legumq́; peritus,
Matura armaret cordaq́; temperies.
Non toties populos rexiſſet, non ſibi magnus
In populos gladij iura dediſſet herus.
Vnde decus meruit cenſumq́; auctare benigna
Quæ colitur ſortis maſcula ſæpe manu.
Laxius huic vrbis totę linquantur habenę
Et peragenda alijs præcipe iudicibus.

IANI THESEI CASOPERI PSYCHRONÆI LIBER QVARTVS.

AD ALOVISIVM PAPANDRVM ET DISCIPVLOS NICOLAI SALERNI.

QVM ſis Antilochi ſenior nigriq́; parente
Memnonis, expertis annumeratus auis.
Qum ſapias altum, cunctisq́; diſertior exces
Ciuibus, arcanæ conſcius hiſtoriæ.
Qum ſis ingenio pollens, munitaq́; forti
In duris geſtes pectora conſilio.
Gymnaſium imberbi circūdatus vndiq́; cętu,
Veſpere adis docti maneq́; Nicolei.
Hic vbi temnendę libitinę ſuſcipit arma
Mœrorem ſcholicus ceu toleretq́; grauem.

Vitaq́ꝫ virtutum degatur tramite, & æqui
Aſpera monſtratur ſemita, & officij
Quot bona ſopito promiſit magna Nepoti
Seruanti patriam Scipio iura, fidem.
Quid puer ignarus vaga quid facietq́ꝫ iuuenta
Cum ſapiens ſtudeas grammata noſſe ſenex?
Hinc capite exemplum teritis qui luſibus horas
Diſcipuli (moneo) delitijſq́ꝫ bonas.
Præcipiti fugiunt pernicia tempora lapſu,
Non velox adeo gnoſia penna volat.
Ne ſinite in nugis molles abſumer annos,
Sit veſtro turpis limine pulſa Venus.
Exhauſto tetricę geniales vaſe Mineruę
Longe abeantq́ꝫ dapes, huberiorq́ꝫ Calix.
Nunc vigilare, graues nunc nocte dieq́ꝫ labores,
Nunc Boreę iſmarij frigora ferre decet.
Offendunt hæc verba animos (vt noſco) ſupinos,
Et nil delitijs dicatis eſſe prius.
Error habet ſtolidas ſententia prauaq́ꝫ mentes,
Et mihi non modicum credite deſipitis.
Non hoc Vergilius lux inquiet vnica vatum,
Non in Sarmatica qui fuit exul humo.
Non quem multauit Romæ laudata receptor
Lingua nece, eſt roſtris impoſitumq́ꝫ caput.
Non cui ſecretas flammarum inquirere cauſas,
Veſuius optanti triſtia fata dedit.
Non Italis quo non alter ſapientior oris
Nicoleus, qui vos dogmata rara docet.
Dorica qui & latię callens monimenta Mineruę
Calliopes pleno gutture dona ſonat.

O quantum adſurgit, qūm teucria concipit arma,
Pannonici altiloquus ſæuaq; bella ducis.
Mitius arguto modulatur carmeñ holore,
Seſſitat in labijs dulce perenne melos.
Qui Thebis colitur Bacchum, aoniaſq; puellas,
Et Clarij verſat numina corde Dei.
Enthea nam loquitur, penituſq; ignota reuelat,
Diuinum forſan quæ latuere Sophum.
Hunc colite vt magnum quod venerit ęthere numen,
Dignatum noſtros condecorare lares.
Miror in obſcuras greſſum vertiſſe latebras,
Qui dedit acatus dogmata Romulidis.
Qui toties docuit Ticini diuitæ lucro,
Audiuit necnon incola parthenopes.
Sed tetigit pietas, Sophię eſt miſeratus egenos,
In virtutum auidos pręmia municipes.
Lampade ſuccurrit cęcas fulgente tenebris,
Feſſis atq; tulit rebus amicus opem.
Ex hoc ſexcenti fluxerunt ęquore riui,
Arbore & ex iſta germina plura virent.
Ni foret hic natus nil eſſem, nullaq; noſſem
Grammata. quid peius q̄ didiciſſe nihil?
Doctrina e vulgo, ſciungimur, omne puſillum
Præter virtutem credimus eſſe bonum.
Magna quidem vox eſt, nitidum contemnimus oſtrum,
Et quaſcūq; auidus Craſſus habebat opes.
Aſſerimus nil poſſe homini poſt turpia damni
Accidere, atq; vnum tollimus vſq; decus.
Mirus palladię artis honos, quos libera doctos
Fama vocat, verum eſt dicere Semideos.

Illuſtrant magnum claris virtutibus orbem,
Poſt obitum fiunt protinus indigetes.
Sumite vos igitur tanti præcepta Magiſtri,
Quæſo fouete pium nocte dieꝗ; virum.
E latere haud vnꝗ; diſcedite, ponite honeſti
Ante oculos pulchrum ſimplicis archetypum.
Actibus in cunctis imitandum aſſumite, legem
Viuendi mores eſſe putate ſuos.
Nam Natura omnes ſuffecit prodiga dotes,
Doctrinam, Sancti pectoris atꝗ; bona.

Ad picturam Amicę.

Quàm ſimiles dominę membris formauerat artus,
Parrhaſio pictor qui prior arte viget.
Scintillant oculi dominę, flammaſꝗ; coruſcant,
Luminibuſꝗ; tuis plurimus ignis ineſt.
Albior illa niue eſt, ſuperas candore pruinas,
Multaꝗ; in ore ſuo purpura, multa tuo.
Illa gerit facie veneres, charitesꝗ; decoras,
Te Venus, atꝗ; decens excolit vſꝗ; charis.
Aurorę illa comis croceo redimita capillo es,
Dotibus in cunctis nomen habetis idem.
Diſpariles aliquo verum diſcrimine. non te
Spiritus vllus alit, vitæ ea munus habet.
Tu queruli precibus non indignaris amantis,
Ferrea corde pias negligit illa preces.
Tu vultu mitis ſemper ſpectaris eodem,
Sæpius illa oculos mutat acerba ſuos.
Tu mecum tenebris, clara tu luce moraris,
Illa procul noſtra nocte dieꝗ; domo eſt.

Vnum viue diu mœſti ſolamen amoris,
Quæ dominam forma conſpicienda refers.

Ad Nicolaum Salernum.

O Cui cecropidum debet facundia vatum,
Vnde hauſit magnum Romula lingua decus.
Quem Meliſis pęan numeris helicone recepit,
Orphea vt, vrania progenitumq; Linum.
O calabrę ante omnes moderator ſedule pubis.
Qui doctos nomen doctius inter habes.
Te te laurigerum per phœbum, & pallada glaucę
Inuentricem oleę, Melpomenenq; rogo.
Vt fratrem quo nil nobis dilectius extat,
Peruigil egregijs moribus inſtituas.
Dum tener aſſueſcat crimen vitare pudendum,
Cum vitij inuictus fomite bella gerat.
Decolor atq; odio cum turpi infamia probro,
Fœdaq; ſit labes, dedecoriſ p nota.
Inſinuandus amor nunc eſt in pectore laudis,
Cum niueo pulcher nunc & honore decor.
Nunc nunc da caſtæ præcepta fidelia vitæ,
Dum potis eſt æqua verbera ferre manu
Veriloquos auida monitus dum percipit aure,
Dumq; tuo pendet credulus ore puer.
Flectere ſedulitas conatur ruſtica pinum
Fruſtra, vbi radicum in robora iecit humum.
Inficiet veteres male quod nunc imbibit annos,
Seræ erit atq; grauis poſteritatis odor.
Nunc propera formare animum, qui ſpernere poſſit
Quas voto plebes ſupplice quærit opes

Qui ſeruet recti ſeriem, præſtetq; labanti
Vel iugulo patriæ quū petet vſus, opem.
Diligat vtq; ambos ſumma pietate parentes,
Obſequio canos & veneretur auos.
Iraſci prohibe. nulla eſt ſapientia cordi,
Quód monet ira ardens conſcelerare manus.
Aſperat hæc oculos, turgentia torquet & ora,
Cogit & in ſocios impia verba loqui.
Inſontes acri digitos & carpere morſu,
Et quatere inſano bis pede terq; ſolum.
Quæ fines iram tamen haud tranſcenderit ęquos,
Virtutis calcar ceu probo magnanimę.
Hac duce non patimur ſæuos regnare tyrannos,
Hac duce ſacrilegum pellimus vrbe nefas.
Inde Syracuſia exactus Rex impius aula,
Litterulis pueros imbuit Iſthmiacos.
Scilicet ex terris violatę cæde maritę,
Tuſci Tarquinius Regis adiuit opem.
Actoridę nece ni triſtes conceperat iras
Imparis Hectoreis viribus Aeacides.
Nunq; Mulciberis quãuis confideret armis,
Fortia ſtrauiſſet corpora Priamidę.
Abſtinuiſſe doce famoſo crimine furti,
Nullum etenim rapto probrum erit improbius.
Naturam moneas ſectetur, viuere paruo
Diſcat, ſollicitas reſpuat vſq; dapes.
Nam breuis eſt per opum contemptum ſemita docto
Vt placuit Senecę dicere diuitijs.
Ceperit & ſi amplum fortunę munus amicę,
Atq; ita felices annumerabit opes.

Munificus ſocijs alimenta miniſtret egenis,
Anguſtam meritis pauperiemq́ iuuet.
Lege ſati hac fuimus, lege hac inuenimus orbem,
Alter vt alterius, ſe tueatur ope.
Mutua vt alternis donantes commoda, lapſum
Erigat hic firmo qui pede calcat humum.
Vt feſſi ſuſtentet onus, leuet atq́ laborem
Robur habens, ſapiens conſulat vtq́ rudi.
Iure Maro canit in querulo punirier orco,
Qui ſoli gazis incubuere datis.
Nec partem poſuere ſuis, teterrimus æuum
Gentibus inuiſum dijs & auarus agit.
Obtrectet nulli, nulli maledicat, in omnes
Comiſeat, cunctis & placuiſſe velit.
Nil niſi rectum adamet, niſi nil cupiatq́ decorum,
Seruet vel falſis hoſtibus vſq́ fidem.
Regulus æternum manſuro nomine viuet,
Infidis q nec verba dedit Tyrijs.
Obſiſtat duris erecto corde periclis,
Arduus aduerſis nil putet eſſe mali.
Ignoſcat facilis, vindicta proterua minutum
Cor habitat, ſtultis mentibus atq́ ſedet.
Ille mihi inuictus generoſus habebitur Heros,
Hunc ſummis dicam cęlitibuſq́ parem.
Qui nihil infrendat pulſatus dentibus, atq́
vlciſci offenſas vile nefaſq́ putet.
Hic hic in præceps muliebria corda tumultus
Vrget, degeneres exagitatq́ mares.
Non fortem attingit, non illum commouet auſit
E ſacra qui chartis dogmata Socraticis.

Magnanimum nunq̃ ſe ſpretum prædicat, hoſtem
Aſſerit armatum non nocuiſſe ſibi.
Reddere quumq; vicem fuerit conceſſa facultas,
Poſſe, ſat eſt, puras gaudet habere manus.
Fortunam inuideat nulli, rerumq; ſecundos
Euentus, liuor dedecet ingenuum.
Qui hæſerunt foribus vidi liuere potentum,
Dicto & paruerant aſperioris heri.
Seruile eſt vitium, qui vulgi vilia temnit,
Non fortunatis inuidet ille viris.
Te duce ſi formet tenerum Pomponius æuum,
Et ſponte innocuus iuſq; piumq; colet.
Debebit pater vſq; adeo, debebimus ipſi,
Dediti vt imperijs ſimus vterq; tuis.
Exoptat mage filiolum ſpectare modeſtum,
Aurea q̃ ſtolidi munera habere Midę.
Si nunq̃ expertus, legiſti ſæpe parentum
Pro natis teneat pectora quantus amor.
His vigilant, ſudantq; inopes, totoſq; labores
Impendunt, viuunt perpetuo inq; metu.
Euadant orant Cœleſtia numina, iuſti,
Antiquas poſſint vt decorare domos.
Horum ope confidunt feſſam fulcire ſenectam,
Peneq; defectos longius ire dies.
Si vanos videant, ſi obſcęnos poſtea, & auaros,
Tincta cruore hydrę lancea corda ferit.
Corda ferit, magnis atq; optant ſumptibus emptum
Non vnq̃ nequam progenuiſſe homines.
Ergo velis altos animi luſtrare receſſus
Lynceis & pueri pectora luminibus.

Et durum molli placabis prouidus arte,
Arte laborata diſcutiesq́ rude.
Eijce ſi quid habet minime laudabile, frugi
Vt gerat ex omni deniq́ parte virum.
Sic tibi det coniux hilarem caſtiſſima natum,
Qui decori haud deſit nominibuſq́; tuis.
Auſpice ſic edis flauo quæ carmina phœbo.
Perpetua valeant poſteritate frui.
Sic viuas longum in terris, italamq́; iuuentam.
Erudias, vitæ dans documenta piæ.
Sic ſenium emenſus nitido iungaris olympo,
Sidereum felix poſſideasq́ polum.

Ad Marcũ antonium magnũ.

QVm ducis Heſperij peteres pia numina, longæ
Triſtis eram metuens mille pericla viæ.
Fingebam modo fluctiuagum ſequire profundum,
Diſiectæ impellens naufraga vela ratis.
Nec tibi Tyndaridæ felicia ſidera fratres,
Nec daret vllam atrox ennoſigæus opem.
Nunc (ſi forte caput pigitum eſt committere ponto)
Latronum occultos fata parare dolos.
Siue igitur pelago, ſeu ſtaret pergere terra,
Quod mea diſcrimen mens timuiſſet, erat.
Aſt vbi Carrafi rebus bene principis actis,
Incolumem noui te remeaſſe domum.
Gaudia mouerunt torpentia pectora magnus
Viſendi Magnum Theſea cepit amor.
Sed quando impediunt ſexcenta negocia, detur
Parere vt cupido copia nulla mihi.

Hoc rude fronte precor carmen cape Magne ſolutu,
Et me ceu ſolitus diligito vſq; prius.

De vi ventorum verſuum
experientia.

NAtorum fratris Titanum turbine cœlum
Alituum ſedes, æquora, nutat humus.
Iratis pauitant animis conuexa tonantis,
Germanæ imperium, cerula regna, ſolum.
Iuppiter & Iuno violento flamine frigent,
Neptunuſq; pater, Tartareuſq; deus.
Cęlicolę, volucres inſanę murmura gentis
Formidant, ponti belua, terricolę,
Aſtra volantia, nantes longa per æquora piſces,
Humanumq; genus flagra verenda timet.

Ad Coſmum baſamum Sacræ
Theologiæ doctorem.

NE doleas, ſtolidi ſi pars viliſſima vulgi
Rodit, & occulte bella proterua mouet.
Cauſſa eſt, oſtendis fures, ſa uoſq;, diſertus
Dum damnas vitij turpe miniſterium.
Hinc iræ, hinc fatuis illataq; vulnera linguis,
Hinc clandeſtinis murmura ſparſa dolis.
Nunq̃ recta ſapit, ritu meliora pudendo
Auerſatur, iners & vigilantis opus.
Inuidię vrgetur ſtimulis, imitarier odit
Quem nequit, & virus corde prophana fouet.
Sit raris placuiſſe ſatis, te obſeruet, ametq;
Phębicola, aſſurgat palladiuſq; chorus.

Impendatq; tuum tibi iure peritus honorem,
Quiq; legit Coum Pergameumq; Sophum.
Nobilitaſq; probet, caſtus probet atq; Sacerdos,
Nectere mortales, ſoluere cuiq; datum eſt.
Adde q; æolio vexantur turbine turres,
Accipiunt rapidos altaq; tecta Notos.
Impete parua domus nimirum tuta Boreo eſt,
Non quatiunt humiles flabra ſonora caſas.
Sic mage quo fueris doctus, facundus, honeſtus,
Hoc mage detractat nomina liuor edax.
Inuidet ignaris quiſnam? quis turpibus obſtat?
In tenui nunq̃ vaſe venena bibes.
Si quis non placeat ſtultis laudabile certe eſt,
Sis docto ſapiens, diſpliceaſq; rudi.
Hoc pulchrum, atq; decens, hæc viuida gloria, quando,
Scipio te aut alter tollit in aſtra Cato.
Laudatus tantum laudet, pars cętera magno
Optares turpi dedita, negligeret.
Hoc ſatis eſt, q; nemo bonus, nemo arguit æquus,
Ludibrio inſidias tu modo plebis habe.

Ad amicam.

IN latebras detruſit iners & tecta maritus
Abdita, luminibus ne aſpicerere meis.
Fecit iter per operta ſoli, quo exempta periclis
Inferior tutas traderet aula vias.
Compages duras aſaroti rupit auiti,
Eſt per curtatas ſcalaq; miſſa trabes.
Tutius eoas potuit clauſiſſe feneſtras,
Intra ædes aditum & præripuiſſe Noto.

Hinc labes eſt orta mali, cœpitq; vigorem,
Hinc via nequitiæ criminibuſq; data eſt.
Hinc amor hinc repſit venis furioſa libido,
Hinc Ratio in præceps conſiliumq; ruit.
Attamen ingentes fruſtra feciſſe paratus,
Et fraudes conſtat iam nocuiſſe parum.
Si ſurgis ſtolido media ſtertente marito
Nocte, iuuat tacitas & reſerare fores.
Admittis gelida madefactum meq; pruina,
Limine te inſomnis dum maneo opperiens.
Inguen ſtanſq́ premo, interdum molleſq́ papillas
Attrecto, tenerum ſuſtineoq; femur.
Si tremulo criſſans agitato Clune moueris,
Iucundum nouies & properamus opus.

Ad Proſperum Vrſum.

HAud temere impoſitum eſt tibi vir rariſſime nomen
Prosper, nam ſuperos mentis acumine adis.
Abdita veſtigas naturæ ſemina, tingunt
Se heſperijs veluti ſidera, noſcis aquis.
Et quid ſupremi felicius ętheris arce
Talia mortali quàm didiciſſe datum eſt?
Et gemini egregie conſultus iuris, vtrumq́
Sollicitis nauas nocte dieq́ ſophos.
Hinc ſi forte homicida tuam fur, raptor, adulter
Difficili vinctus compede poſcit opem.
Eſt gladio tutus, fatiq́ immunis acerbi,
Exemptus duris exilijq́ malis.
Ergo doctrina quia præditus, atq́ clientes
Eloquij vſq́ iuues fulmine, nomen habes.

Ipſe ꝙ es felix nimirum dote ſagacis
Ingenij, miſeros ꝗq; beare ſoles.
Nec leges ſat ſciſſe, oræ niſi plurima iberę
Iuſtitia atꝙ fides conciliaſſet hero.
Idcirco populis metuendus Cæſar heoïs,
Conſilio atꝙ armis qui regit heſperios.
Pauperie edixit mulctares protinus hoſtes,
Molitos tetrum proditione nefas.
Qui temnunt Aquilas inuicti ſigna Monarchę,
Gallo ſufficiunt auxiliumq; duci.
Diuitijs orbas o proſper iure rebelles,
At nec apud ſuperos degere iure ſinis.
Improba nanꝙ auſos & fœda neceſſe feriri eſt,
Et mitti in Barathri triſtia ſacrilegos.
Cęſarei valeant offendere forſitan altam
Ne maieſtatem numinis vlterius.
At pius id Princeps non paſſus, moreꝙ magni
Regis vindictam iuſſit abire grauem,

Ad Hieronymum Spoletinum
auunculum.

VSꝙadeo mentem defunctæ cura maritæ
Afflictam triſtis ſollicitatꝙ pauor.
Cęlicolis vt thura merum des ſupplice cultu,
Dignentur manes exonerare ſuos.
Largius & foueas inopes opulenta ſacerdos
Dona ferat, pingues ſuſcipiatq; dapes.
Nec ſemel id peragas, verum bis, terꝙ, quaterq;
Atꝙ iterum, atꝙ iterum, ſæpeꝙ multiplicas.
Nullius elyſio iam muneris indiga coniux,
Perfruitur, colles lęta colitq; pios.

Nam tibi zelotypo fidiſſima vixerat, atq;
Nil ni vnum optarat diligere vſq; virum.
Nulla (quod eſt rarum) ſua vulnera fama recepit,
Nullaq; quæ fundat ſpicula liuor habet.
Eſt laudata viris, innuptis fleta puellis,
Luxerunt matres, ingemuere nurus.
Sed facis id forſan, quo coniugis innuba grati
Tãq; pij affectet fœmina connubium.
Nec falſus. quando vicina petelia mittit
Vxorum turbam de mage nobilibus.
Nec Croto deſiſtit dignos largiri Hymenæos
Natalis ſileo quos tibi tradit humus.
Vtile at vna tamen tribuit res, vnaq; damnum,
Commoda ſufficiens, & nocumenta tibi.
Quandoquidem accepit qui munera larga ſacerdos
Deſerti partem te lachrymante tori.
Plenius vt poſſit donari nocte dieq;
Orat, vt vxorum ſæpe fleas obitum.
Atropos vt Mariæ creſcentis finiat annos,
Ante diem vt cernas Hyppolitæq; rogos.
Edita quæq; fuit genitricis paruula læto
(O dolor) infauſtæ Deianyra cadat.
Aut igitur parcis manibus donabis auarus,
Charorum aut precibus funera nigra petent.

Dialogus Hominis &
Chriſti Domini.

QVid pendes mœſtus caput acclinaſq; cruentum
Chriſte? quid exanguis regnat in ore color?
Aurea mortales geſtant inſignia Reges,
Inq; eboris ſolio purpureoq; ſedent.

Non ceſſaturi tu conditor auctor & aeui
Et terrae, & mũdi ſumme Monarcha poli,
Squallidus, afflictus, confoſſus, ſaucius aegrum
In lacero fulcis pectore Chriſte Caput.
Spineum & impliatus Diadema cruore cerebrum
Quod ferit Ambroſius triſte capillus habet.
Quis clauo geminas terebrauit deſide palmas?
Atq; etiam immani quis feritate pedes?
Quis tibi myrrhatum ſitienti admouit acetum?
Quae ſoluit caſtum vindicas haſta latus?
Tenſa prius turpi quis fixit in arbore membra?
Quis tandem iuſſit cęde perire graui?
Non dat me Caiphas, non praeſes pontius, atq;
Pontifices, falſus diſcipuluſq; meꝰ.
Ipſe volens morior genitori moriger alto,
Naſcor & arcanis Virgine fęderibus.
Primigenam vt puro delerem ſanguine labem
Factus homo, occultos dete geremq; dolos,
Vt te collapſum erigerem, eſſereremq; barathro,
Sum via qua magno conciliere patri.
Deſcenſum ante meum picea caligine Moſis
Intellecta parum lex adoperta fuit.
Sed cunctas tenebras velamina cuncta reſolui.
Diſiecta nituit claraq; nube fides.
Aetherep primus reſeraui limina portę,
Primus inacceſſi clauſtra aperire poli.
Te propter fures inter numeratus iniquos,
Immeritę volui ligna ſubire Crucis.
Et perferre graues ex omni parte dolores,
Cerne caput, palmas, pectora, crura, pedes.

Nulla ſalus toto cernetur corpore, feſſum
Semianimemq́; pati plurimus egit amor,
Sed male grate odis, rabie lędiſq́ proterua,
Peior idumęo cuiuſq́ fata paras.
Fata paras, dictis laceras quom numen amaris,
Arcanum mentis contemeraſq́ ſacrae.
Qumq́ tui offendis nomenq́ decuſq́; propinqui,
Quem te (ceu monui) ſicut amare decet.
Pęniteat facti, doleas & turpibus auſis,
Brachia vt accipiant ſemper aperta patent.

Ad Coſmum Baſanum Sacrę
Theologiae doctorem.

Conqueritur quidã atq́ dolet, lachrymatq́; gemitq́;,
Atq́ tui vires non probat eloquij.
Quod vertis vitio dum obſcęnum caſtus amorem,
Et blandas veneris reſpuis illecebras.
Vertiſti dominam indulgentem nutibus aequam
Ante, ſedet quae nunc trux, inimica, ferox.
Cogitat atq́ nihil niſi iugi fila labore
Ducere, & artifices exagitare manus
Hinc iratus amans te deuouet vſq́, petitq́;,
Vt miſer occumbas, perpetuumq́ gemas.
Quae ſapis vt numen pharetratum expectoret, & ſis
Ignarus, ſtolidus, mobilis, atq́ procax.
Ipſe igitur pueri aut cauſam tueare potentis,
Vindicis aut calamos experiere vagos.
Nec nimium fidas q́ nulla puella moratur
Aede, diu ſtudijs inuigileſq́ ſacris.
Quandoquidem caſtas irrupit Cypria Cellas
Saepius, & demens clauſtra habitauit amor.

Vnica ſuſcipias Roberti exempla diſerti,
Incautum armatus quem face torſit amor.
Poſthac (ni iuuenum cordi eſt mouiſſe furores)
Incipe pennati dona probare Dei.

Ad Chriſtum Ieſum Dominum.

CHriſte patris magni Sapientia, ſumma poteſtas,
Summus amor, trino numine cuncta regens.
Quem non ſiderei ſublimis regia Cœli,
Non volucrum Regio, non maris vnda capit.
Non tellus, fines qua veſper cernit heoos,
Qua Boreas ſpirat frigidus, atq; notus.
Non ſitus obſcuri tenebroſaq; Dęmonis aula,
Expulſi quondam ſedibus ętbereis.
Cepit inoffenſa pia virginitate Maria,
Verum hominem pariter parturijtq; Deum.
Iudice deſpectus falſò medio orbe Pilato
Qui uis horrendam pertolerare necem.
In cruce præueniens fallacem protinus hoſtem,
Et vinctus vincens dęmona lętiferum.
Moxq; fores reſeras, & cęca clauſtra Tyranni,
Infernę exuuias indueriſq; domus.
Effugere vnde datum eſt primęuę incommoda ſortis,
Poſt obitum nobis ſideribuſq; frui.
Emſitq; dies rediuiuum terna Sepulchro,
Non dedignatum viſere diſcipulos.
Atq; fide patrio monitu fulcire labantes,
Solari triſtes, atq; docere rudes.
Ne patiare homines errore fatiſcere vano,
Turpibus & ſæcli fallier illecebris.

Quandoquidem paſſim tot millia multa nocentum.
Creſcere,terrarum & crimina vbiq; videt.
Hinc mollem aeream proſternere fulmine tentat,
Aequare atq; humili mœnia cęlſa ſolo.

Ad Alouiſium Spoletinum.

QVòd mihi ſit res cũ meretricibus arguor,&
Cum ſcortis ſoleam conſeruiſſe femur.
Eſt ſatius placidę ſuſtollere crura puellę,
Adq; ad proſtibulum vertere præſtat iter.
Quàm ſi ſummittat cęuens tibi puſio molles
Nocte nates,nec ſit munere parte venus.
Dulcior in cunno Venus eſt me iudice,fœdum
Nonne putas dextram ſollicitare manum?
Neutrum forte probas, pathicos exoſus aſotos,
Thaidos & culpans publicum adulterium.
Et matronarum magnos extollis amores,
Primorum ſuades poſſe q; tecta peti.
Nimirum eſt iuueni vehemens infamia honeſtę
Attentare nurus velle pudicitiam.
Et niſi per lapſus ſcalarum non datur ędes
Intrare,obſeruat Ianitor vſq; fores.
Ad Fabiam accedes quoties centena ſubibis.
Semper quæ nec adhuc rere pericla miſer.
Sunt famuli,donis captandi ancilla roganda eſt,
Iraq; Zelotypi nec ſubeunda viri.
Et niueum argentum & fuluum largirier aurum,
Necnon purpureum tegmen oportet herę.
Si ſecus,& rigidas hyemes patieris,& Auſtros
Pulſus,& horrifera grandine lęſus eris.

Noſtra tamen fateor magis at præcordia tangunt,
Et deſiderio mi potiore placent.
Fauſtina ante alias niueo ſpectabilis ore,
Et digna Heroum laura venuſta toris.
Quæq; virum cupide dilexit honeſta Beatrix,
Vt Mauſoleo proxima buſta daret.
Acrius in Luccis ſuſpiro, fortius angit
Caſſandra, & nigris Liuia luminibus.
Sollicitare faces generoſa Nocentia quas non
Edita plebe humili Niſa, Negra valet.
Non ſolus cor habes, nec noſcere quod datur vni
Exiſtat melius, nobiliuſq; prius.
Et mihi ſunt oculi ſi neſcis, forſitan Argi,
Atq; Iouis cerno clarius armigero.
Sed fraudes res iſta fouet dulciſſima opertas,
Floribus in nitidis ſæuaq; echydna latet
Aut ſemel aut tota futues non deniq; vita
Spoletine, voles ſi modo patricias.

In Quendam.

CVr petulans demens tum e facto corde ſuperbis?
Et ſtolidus iactas nobile habere genus?
Mentiris, vanas ridet plebecula voces,
Falſaq; traducunt ſtemmata patricij.
Antellus facit hos animos natalis? & audes
Plurima ꝙ cunas vrbs opulenta dedit.
Non te Trinacrij Zancle Regina profundi,
Non te parthenope, aut Martia Roma tulit.
Non ędes Aponi, Marci ędidit almoq; ſedes,
Condita non Ocno Mantua præbet auos.

Non quæ dicta fuit Boionia nouit alumnum,
Non Piſæ, vrbs Pataui doctaq́; non Mutina.
Non Arriq́; forum, Verona, Aquileia, Senę,
Ticinumq́; armis vtile Cæſareis.
Et quoniam in Calabris dicis regionibus ortum
Cum ſuibus forſan barde habuiſſe tuum.
Non Croto progenuit, non te Coſentia, non te
Induperatori mœnia fida pio.
Non tibi maiores laudabilis aere puro,
Arteq́; bellandi prædita Pſychro dedit.
Rus modicum, miſeriq; lares, paguſq; puſillus
Obſcurum tibi dant quis neget iſtat genus.
Hic Satus eſt proauus prope denſę robora ſyluę,
Ruſticus, immundus, ſordidus, hirtus, inops.
Tradita viuendi fuit ars ſibi nulla, relictum eſt
Per montana pecus paſcere lanigerum.
Sæpe gregis dominis agnos rapiebat, & hędos,
In cęca & tacitus antra trahebat oues.
Lucrari ex furtis, operire cubilia fęno
Strata prius, viles & decorare Caſas.
Dat vires animoſq; pecunia, linquere multram
Suaſit, grande magis corda q́; flexit opus.
Et pinum terebrare, & ſcindere robora cępit,
Atq; abiegna opifex ligna dolare rudis.
Aeſculum & in ſummis bifida mutilare ſecuri
Montibus, vnde ſibi dolia facta forent.
Hæc tibi nobilitas, hæc Inclyta patria, probro
Cui tamen es, quãuis ſit modica illa nimis.
Vnde hæc inſanæ ſtupida eſt vecordia mentis?
Vnde ingens oritur vanaq́; ſtultitia?

An quia vtrinq; tuæ gemina extant cornua fronti
Thyrſigero Bromio ſicut inepte tumes?
An fortaſſe charis facie ſublimis honeſta
Efficit, vt criſtæ corde tibi ſaliant?
Quandoquidem hinc iuuenum ſtimulat quos cæca libido
In tua tecta coit nocte dieq; manus:
Hæc niſi primæuo ſuxiſſet lacte pudorem,
Perderet ipſe fores cauſſa pudicitiam.
Eſt tibi non recte coniux commiſſa perillo
Obſcæno, nequam, turpiloquoq; prius.
Inde tuæ venient incommoda millia genti,
Si ſapis, hunc patria nec nora pelle domo.
Pelle, nec infidis tradas tua pectora verbis,
Nam ſibi credentes decipere vſq; ſolet
Percuſſus tamen eſt gladio quo perculit illa
Inflixit tibi quæ damna eademq; tulit.
Nanq; ſenes narrant, qui dicere vera laborant,
Illius vxorem ſubditam adulterio.
Fama ſututo rem tenebris admittere ſacrum eſt,
Et tota laſſum frangere nocte latus.
Naſcetur ne lepus, foſſoue cuniculus antro
Non ſibi, ſed rapido qui voret ore Leo.
Fulua Iouis volucris trepidas generare columbas
Non ſolet, haud oritur ſegnis aſſellus equo.
Hæc alias. verum his tecum ſint prœlia chartis,
Prœlia non vlla diſſoluenda die.
Pauper es, & multis ingentibus vndiq; preſſus
Nominibus, quæ nec copia plena luet.
Vilibus & natus proauis, & paupere pago,
Coniugis ante oculos dedecus atq; geris.

Inq; tuo nunq̃ ſederunt corde camęnę,
 Nec ſordes pallas dempſerat ingenij.
Proditor es domini Seruus nequam, atq; coegit
 Cuilibet arcanum pandere Nyctileus.
Prædator rerum diues & reddis egenos,
 Luce manus grauidas, ſæpeq; nocte refers
Ergo ſile, immeritos & deſine quærere honores,
 Nec pete q̃ vires vlteriora queunt.

IANI THESEI CASOPERI PSYCHRONÆI LIBER QVINTVS.

CAMILLO TVRRI PATRICIO NEAPOLITANO FELICITATEM.

Ex intimis poeſios penetralibus Camille Clariſſime nouũ carminis genus opus eſſet eruere, quo obſeruantia in te mea commode poſſet aperiri. accipias tamen hilari fronte (quæ tua eſt humanitas) impolitũ carmen noſtrum, & æqui cõſulito, rei preciũ animo penſaturus. & quia ingenti deſyderio teneor fraterculum nõ inelegantẽ Illuſtri Principi tuo tradere, vt ſibi perpetuus adſit, curabis obſecro vt optatis potiri queã, & gratiſſimũ facies. Ita vt tuã in me benignitatem ſim vbiq; gentiũ prędicaturus, atq; idcirco plurimum debiturus. Vale, meq; ama, & Principi cõmendato. Pſychro Quinto Idus Ianuarij. M. D. XXXII.

NObilitas, virtus, & honore gratia formæ,
Necnon formoſo in corpore ſtrenuitas.
Vt te ſuſpiciam ſuadet, laudemq́ꝫ, colamq́ꝫ,
Dum noſtro calidus viſcere ſanguis erit.
Cui doctrina ingens non ſit placitura: & acumen
Ingenij, & ſtudij feruida ſedulitas?
Cui non hyrcana nutrito Tigride poſſes
Eloquio pectus flectere Nectareo?
Nulla orbe in toto tam gens eſt effera, tãq́ꝫ
Expers humani diſſita barbaries.
Quin (ſi conſpexiſſe foret conceſſa poteſtas)
Continuo faciem poſſit amare tuam.
Tutus ad Antiphaten Lęſtrigonoſq́ꝫ receſſus
Et ſæuos iſſes deniq́ꝫ Maſſagetas.
Sidereę rarum formæ decus aſpera corda
Inſenſorum hominum conciliare ſat eſt.
Hinc te virgo petit Sebethias anxia votis
Clara atauis, pollens diuitijſq́ꝫ, virum.
Hinc hęrere tuis thalamis Romana puella
Expetit, inq́ꝫ tuo poſſe manere ſinu.
Candida te potius Dictæi filia Regis
Arſiſſet, ſpreto principe mopſopio.
Non ducis Aeſonij flagraſſet amore Citeis,
Si te cepiſſent littora Colchiaca.
Nunq̃ Dardanias vidiſſet Tęnaris arces
Fœmina, ſemiuiri nutibus acta phrygis.
Viſere pauſilypum tecum cupijſſet, & vrbem,
Vrbem, quæ magnæ iura dat Heſperiæ.
Lętior ambiſſet pelago fugitiua penates.
Et Meneleam deſtituiſſe fidem.

Quin audet nemo tecum bellare, miniſtrat
Nam pallas vires, Mars animoſq; tibi.
Et quis non nouit validum ſat in arma Camillum
Hoſtica belligera ſigna fugaſſe manu?
Seu mage tęnaria tentas certare palęſtra,
Seu terram crebris ſaltibus impetere.
Currere ſeu magis in ſtadio, ſeu miſſile telum
Ritu noſtratum longius excutere.
Siue eques ingenti dare vulnera niteris haſtâ,
Nudo ſiue artus enſe ferire pedes.
Præterea Aoniæ luſtrans penetralia ſyluę,
Cyrrhęas reſeras culte Camillę fores.
Dogmata nouiſti primo Ciceronis ab æuo,
Quicquid & in latijs ſcribitur hiſtorijs.
Iure queas licet & doctos numerarier inter,
Socraticus ſueſti dicere ſcire nihil.
Atq; ita facundi ſequeris præcepta Thyleſi,
Ocnęo vati quem reor eſſe parem.
Vſq; adeo magno diffundit carmine nomen,
Vt ſit in Eois notus, & Heſperijs.
Qui modo Iulęo Pompeio proximus hæret,
Et iuſti atq; pij commonet imperij.
Hunc colis, arrecta documentaq; percipis aure,
Atq; adyto mentis interiore foues.
Sed cum audire virum ſit copia nulla, tenentem
Mitia longinquæ littora parthenopes.
Illuſtri parere duci, & vigilanter obire
Nocte dieq; hilarem grandia iuſſa libet.
Nec te pauperies opulentam miſit in aulam,
Es nam multarum (quod ſcio) diues opum.

Salicet in iuuenem ingenitus ſeruire coegit
Summus amor, pietas vnica, certa fides.
Non alium poteras melius celebrare potentem,
De tot quos felix terra alit Auſonia.
Hic eſt fernandus Spinellę gloria & ingens
Nobilitatis honos, maxima cura deum.
Quo nihil in latijs viuit ſublimius oris,
Sanguine, doctrina, moribus ingenio.
Et nil maieſtas Auguſta fidelius arctis
Et duro belli tempore Cęſar habet.
Qum fremerent Belgarum acies, & Iapygis arua
Vaſtarent, Calabrum diruerentq; domos.
Munitam intrauit paucis comitantibus vrbem,
Rem largis ſeruans ſumptibus aſturicam.
Cęſareumq; tuens diuerſa pericula nomen
Suſtinuit, ſpernens vulnera ſæua, necem.
Egreſſus magnis mox viribus acer in hoſtes
Irruit, & vicit Gallica caſtra breui.
Quæſita vnde fuit toti victoria Regno,
Et pulſa ex Calabris mœnibus obſidio.
Tanti fernandi valuit prudentia, robur,
Carolo vt amiſſum redderet imperium.
Hunc igitur venerare Camille vt numen Olympi
Grande virum, & nimium te didiciſſe puta.
Quippe nec Aonides neq; Flaui gratia phębi
Nec tantum decoris glauca Minerua dabit.
Illius haud vnq; veſtigia deſere, fidis
Illius obſequijs ſtet coluiſſe latus.
Diuitias cenſu longe huberiore parabis,
Huius propitia ſi mihi credis, ope.

Sublime & ſcandes melioris culmen honoris,
In cęlſa & nomen clarius aſtra feres.

Ad Cæſarem plaſteranum
Iuriſconſultum.

CÆſarei cui cuncta patent ænigmata iuris,
Cæſar aue gentis laus bene fulta tuæ.
Qui tenuem patriam paruoſq; humileſq; penates
Exiguę atq; vrbem ſortis in aſtra vehis.
Quis te Cecropijs in vallibus non putet altum?
Et quis pierias non coluiſſe deas?
Tam tua culmen adit cęlſum ſapientia veri,
Tâq; habitat placado in pectore grande ſophos.
Omnia doctiloquæ tibi ſe explicuere Mineruę
Munera, ſeruit honos cui claros atq; dei.
Mercurij dotes dedit indulgentia fandi,
Ornatus lepidos munificę & charites.
Felix, cui probitas ſanctæq; modeſtia vitæ,
Et morum debet candida ſimplicitas
Felix, cui leges geminiq; peritia iuris
Rarum apud Auſonios iam peperere decus.
Vt cuncti obſeruent, venerentur, amentq; quirites,
Cauſidicus cedat quilibet inq; foro.
Non ita laudatus Marcellus, non ita Paulus,
Non talis venit Scęuola in ora virum.
Actores hinc te circũſtant vndiq; mille,
Et totidem celebrant hinc tua tecta rei.
Hic hominem rigido ſæuus violauerat enſe,
Lurida priuignis hic aconita dedit.
Ille pudicitiam malefidę inuadere nuptę
Auſus, & immunda lędere labe torum.

Virgineos alter thalamos maculare, ſecutus
  Auerſam hic venerem accendier igne meret.
Caci alius par occiduo venientis ab orbe
  Armenta abſtulerat qui Amphitryoniadę.
Hos tu funerei poſitos prope limina lethi,
  Aſſeris, & donas vrbe domo, atq; bonis.
Defendente nocens te abſoluitur impius, atq;
  Acceptum tibi fert non ſubijſſe necem.
Quis narrare pium ingenium placidumq; valebit?
  Quicquid ineſt tacito in pectore, fronte ſedet.
Nulla ſupercilio ruga eſt, fraus exulat omnis,
  Non fucum facies, puraq; verba gerunt.
Nemo tuum petit auxilium, quin ocyus ipſum
  Agnoſcat largo munere promeritum.
Plus tibi q̃ natus genitori, hęreſq; beatus
  Teſtantis debet manibus, & Cineri.
Quàm nutritori tot poſt incommoda alumnus,
  Quàm præceptori debeo diſcipulus.
Et tibi ago grates Ciceroni docta Catulli
  Quas nec Muſa egit libera cauſidico.
Nāq; adeo gnauus nomen decus atq; tueris
  Rite meum, & laudi dexter vbiq; faues.
Vt tua nec ſomnus teneat, nec quercera febris
  Qum noſtra affertur littera, membra toro.
Continuo at ſtratis languentes erigis artus,
  Erigis, & legum grande volumen adis.
Nec mora conſilio mea ſoluis pectora fido,
  Qui exercet ſtimulo deſide laſſa metu.
Quæ iacit vnde leuis maleſanus & inuidus hoſtis
  Tela cadunt medio non ſine labe foro.

Atq; emptum exoptet magno certamina nunq̃,
Imbelli mecum turpia iniſſe manu.
Ergo animum & voueo mentis penetralia Cæſar,
Atq; animo ſi quid fortius eſſe valet.
Hoc caput inuenies in cuncta aduerſa paratum,
Parebo imperijs ſedulus vſq; tuis.
Crede mihi pro te patiar non digna libenter,
Exigat atq; vſus millia damna feram.
In giari pro te princeps anguſta releget,
In ſterili viuam nudus inopſq; ſolo.
Caſtra irrumpam alacer firmo circũdata vallo,
E medio prædam ſolus & hoſte petam.
Cum boue non domito iaculante e naribus igneis
Necnon cum fęta Tigride bella geram.
Quãuis nubifero iactentur in alta procellę
Aſtra Noto, & vertant flabra borea ſalũm.
Exiguam inuito conſcendam remige puppim,
Et per fluctiuomum noſtrum erit ęquor iter.
Sed mihi qum deſint benefacta rependere vires,
Nequaq̃ imparibus (ceu decet) officijs.
Quod datur haud vnq̃ te pagina noſtra tacebit,
Nec mea præteritum Calliopea ſinet.
Oro ſupplicibus diuinaq; numina verbis,
Accenſis ſpargens candida Thura focis.
Scilicet vt doctus genitor cui Muſa, Venuſq;,
Atq; charis dulces præbuit ore ſonos.
Phœbus & indulſit liquidas permeſſidos vndas,
Et voluit geminis poſſe habitare iugis.
Exigat illęſum atq; immune laboribus æuum,
Et fortuna manu diuite tradat opes.

Poſtq; obitum rutili colat alta ſedilia Cœli,
Arduus aſtrigero & gaudeat axe ſuper.
Tali mirum felix dignuſq; parentes,
Quo nemo eſt vita ſanctior, & melior.
Et quis nam ingenio penetrat ſupera alta ſagaci
Vſq; adeo, mores excolit atq; pios?
Sunt etiam mea vota, vt caſta & nobilis vxor
Exhilaret patriam prole virente domum.
Et tecum felix centenos tranſigat annos,
Et concors ſemper, ſemper & vnanimis.
Deniq; & affecto cedat de corpore febris,
Viuidus & redeat pallida in ora color.
Vtq; queas cauſis non vnq; deeſſe clientum,
Poſſideat validus languida membra vigor.

De Næuia.

NÆuia prætori de legum queſta perito eſt,
Erepta inuitę q; ſibi virginitas.
Prætor ait rigido cuperem tentare priapo,
Sint Barathri vt narras clauſtra an aperta tui?
Hic tantum verax hic teſtis idoneus in re
Eſſe poteſt, certa dignus itemq; fide.
Annuit, & perdit rurſum quæ perdita quærit
Anxia, & hæc merces inſimulaſſe fuit.

Ad M. Antonium luciferum bellilued. dominum.

ANte belligeri mage mirer honore gradiui,
Cęlſa ſanguineę laudeq; militię?
An mage Apollineo commendem munere, & almę
Palladis incertum eſt artibus ingenuis?

Nam quantum bello valeas & fortibus armis,
Gallica nouerunt agmina, & Auſonia
Formidatq; tuas patriæ manus hoſtica vires,
Quæ cum luciferis aſpera bella gerit.
Et leges adeo ciuilia iuraq; calles,
Vt cunctis Caio conſpiciare prior.
Ingentes habeo grates, q; ſponte tueris,
Pollicitaq; metu pectora ſoluis ope.
Sic frater præſul potiore auctetur honore,
Maximi & aſcendat culmina Pontificis.
Iſta monent mites te lucifer inclyte mores,
Ductaq; patricio ſanguine nobilitas.
Nāq; tuos perhibent atauos cū Cæſare quondam
Alta ſtirpe ſatos hoc petijſſe ſolum.
Quos quia geſtabant accenſam lampada, ſollers
Luciferos voluit dicere poſteritas.
Ergo dum fragiles animabit ſpiritus artus,
Vſq; tibi viuam deditus, atq; tuis.

Ad Annibalem Strabonem patricium Neapolitanum.

EXoptas noſtro laudari carmine, qui iam
Voce meres tolli ad ſidera Mæonidę.
Qui laudanda facit, qui digna poemate tentat,
Doctarum poſcit munera pegaſidum.
Sic tua quem accendunt verum facta inclyta auorum
Ad decus, & laudum pręmia perſequeris.
Vt poſt fata diu valeat tua viuere virtus,
Et quantus fueris noſcere poſteritas.

Dum noſtræ poterunt igitur durare Camęnę,
Strabonem vſq; canent altius Annibalem.

Ad Agathium Baſilium Prætorem.

INſenſus queritur de te Bacchuſq;, Deuſq;
Cui Rhodos, & pataræ regia ſacra facit.
Et Clio, Euterpeq;, Thaliaq;, Melpomeneq;,
Heroum & ſeruans Calliopea decus.
Quod dum iura foro reddis, dum conſulis vrbi,
Enthea parnaſi rarior antra colis.
Quid tibi cum rudibus docto eſt, & plebe prophana?
Qui ſacer es, vates diceris atq; pius.
Vulgi ni tędet, vulgaribus iſta relinque,
Adq; tuas Muſas, & ſtudia alma redi
Non te præturæ dictaturæq; poteſtas
Ornabit quantum Laurea Apollinea.
Imperij mihi crede obeunt inſignia, faſces,
Carminibus nunq̃ Mors veniet vlla nouis.

Deflet mortem Marci Antonij piccoli.

HEu puer infelix, quæ nam te inimica coegit
Fortuna a Calabris cedere littoribus?
Quæ rabies animo inſiluit, quæ peſſima erinnys
Impulit Auſonię deſeruiſſe decus?
Ocia neglecta complexus pallade, ponto
Infauſtis quæris parthenopeam auibus.
Quem non Tyrrheni potuerunt mergere fluctus,
In ſale Campano quem neq; vicit hyems.

Heu heu vicerunt pueriles protinus irę,
Heu heu ſtrauit humi non bene firma manus.
Nāq; hic dum noti celebrares præſulis aulam,
Adq; pilam tenero ludere more iuuat.
Ludere cū puero, parili qui creuerat æuo,
At genere (vt perhibent) inferiore ſatus.
Lis orta eſt, arſere animi, pugnæq; furores
Præcipites adigunt explicuiſſe manus.
Diuiditur tandem bellum ſine vulnere, & ille
Ille puer madido lumine mœſtus abit.
Poſt paulo incautum deprendit proditor, atq;
Fatiferum excuſſit eminus heu lapidem.
Percuſſitq́; caput lęuum prope luminis orbem,
Hic vbi lętalis nomina ſomnus habet.
Heu Marce inde cadis, fuſo terramq; cruore
Inficis, & gelido mors tibi triſtis ineſt.
At fugit ille nocens, nec poſt tua funera vidit
Parthenope, admiſſa in pectore cæde reus.
Lętus eat, peiora manent nam fata nocentem,
Durius & ſeruant numina in exitium.
Haud ſuperi tantum facinus patientur inultum,
Vindicat infenſus Iuppiter omne nefas.
Hæc lex iampridem ſancta eſt diuumq; hominumq;
Concilio, ſemper cœpit & ante fidem.
Forſitan ęquoreis merſabitur impius vndis,
Naufragus & nigrum combibet ore ſalum.
Vel per te totam vrbem curuo raptabitur vnco,
Atq; ſuam ſcindent aſpera ſaxa cutem.
Suſpenſum ue tribus coruorum viſcere lignis
Exaturare auidam ſpes mihi ſumma, famem.

Heu Marce heu dilecte puer te luget ademptum
  Vrbs Samij quondam dogmate culta ſophi.
Enutritus vbi es, lactens alimentaq; carpis,
  Necnon autumnos vis habitare decem.
Et quæ te vidit vagitus ędere primos
  Pſychro, vbi ſunt patriæ ſtemmata priſca domus.
Terq; tuos manes fiunt dum iuſta perempto
  Lugubribus plangens pręfica operta vocat.
Flebile terq; iterat ſoror & matertera carmen,
  Heu fili infelix, heu bone frater Io.
At pius exequias genitor prædiuite luxu
  Ingenti & vacuum mole parat tumulum.
Et cauſę inſcribit titulum, ſed præſul honorem
  Dat tibi Marce tuum, grataq; parthenope.
Nam Cineri ſine fraude tuo non vile Sepulchrum
  Moreq; patricio non breuis vrna datur.

In tumulo Ladiſilai piccoli.

ET tibi do lachrymas, & ſingultantia verba,
  Pro officio noſtræ iureq; amicitię.
Atq; tui deſiderium. quin annua buſto
  Thura feram, & ſoluam manibus exequias.
Conſtituamq; aras, vbi dona recentia adulti
  Veris erunt niueę purpureæq; roſę.
Et violę, atq; hyacinthi, & lilię, ſæpe rogata
  Et quæ ſufficiet mella Meliſſa mihi.
Tu ſeu Ladiſilae colis ſublimia mundi,
  In nemore elyſio ſeu leuis aura fouet.

Nulla precor pigrę potis obliuia lęthes,
Theſeos o mœſti ſis memor vſq; tui.
Qui quia tranſiſti vitæ melioris ad annos
Viueq; perpetuum, perpetuumq; vale.

Conquerens Ladiſlai piccoli obitum,
alloquitur Mortem.

QVonam vſq; indomita Mors inſectaberis ira,
Cladibus inuiſum conſideſq; genus?
Num ſtrauiſſe parum trino fuit ægra Decembri
Ingenio clari corpora cauſidici?
Cuius iuncta toro caſtis Aurelia nuptis
Caſtior, & forma conſpicienda bona.
Præcoci & natum egregio virtute parenti
Pene parem, veram quem rapis ante diem?
Ni auferres, cui nupta fuit Germana puella
Candida, caſta, decens, nobilitate potens.
Qua cum vix ternos iuuenis conſumpſerat annos,
Pauloante in patrium retuleratq; larem.
Ladiſilaus hic eſt patriæ tutela, decuſq;
Præcipuum, Romæ ceu duo Scipiadę.
Non te compoſiti potuerunt flectere mores,
Non pietas, non te Mors fera Relligio.
Non ſyncęra fides, non æqui, atq; artes honeſtę
Summus amor, tantum ſtat tibi corde nefas?
Nil hæc. at ſaltem in dubio prudentia Marte,
Atq; opera audacis ſedula militię.
Ferdinando vnde fuit ductori gratus, & illum
Dilexit nimium proſper vbiq; pius.

Commiſitq́; ſuum princeps Laurentius agmen,
Iuraq́; bellorum cui Thyberina dedit.
Vrbe fuit noſtra nemo præſtantior illo,
Ex quo nobilibus claruit aucta viris.
Progeniem poteras mactare decentius omnem,
Inſidias capiti quæ parat innocuo.
Et rapto viuit ſæuarum more ferarum,
Nil habet humani, nil habet atq; boni.
Cur non debilibus patruus curioſus in annis
Vſq; quid inualidus non patruelis obit.
Cur quæ indigna ſui conſpexit fata mariti
Et nati & fratris non modo mœſta cadit?
Optat nãq; mori, ſeros atq; arguit annos,
Tarda mihi atq; refert cur libitina venis?
Vtiliora rapis ſemper, terriſq; relinquis
Vt vitę perdat munera deterius.
Deceſſit ſtulto Varrone ſuperſtite Paulus,
Qum ferus opprimeret Annibal Italiam.
Te quoq; ſollicitat liuor, quæ grandibus obſtas,
Enſeq́; falcato quęlibet alta premis.
Vnde tibi inuidia eſt, ſi quicquid denuq; viuit
In magno imperijs ſubditur orbe tuis?
Impia cui nullę fratrum tetigere dolentum
Corda preces, lacero nec bona crine ſoror.
Coniugis atq; altum ferientes ęthera voces,
Quæ pede non fauſto tecta marita ſubit.
Matris & afflictę luctus, gemituſq; nepotum,
Et ſoceri nimium triſte quęrentis opus.
Propoſiti verum ipſa tenax, & neſcia vinci,
Sternis humi eximium Magnificumq́; virum.

Sed non ſternis humi quas forti pectore laudes
Et validę peperit ſtrenuitate manus.
Sed non ſternis humi tranſactę candida vitę
Nomina, non animi tot documenta pij.
Sed non ſternis humi per mille pericula mentem
Erectam ſemper, ſemper & impauidam.
Sed non ſternis humi vixiſſe quiritibus olim
Acceptum latijs, heſperioq; duci.
Quod magnum pulchrumq; puto, præclara paratur
Scilicet hoc vitæ tramite nobilitas.
Nec ſolum Mauors placidę vel palladis artes
At multis nomen principis aula dedit.
Hic tenerum exegit functus modo piccolus ęuum,
Dum ſtat honoratum concelebrare latus,
Illius Herois, Fabium quem rite vocarem,
Mutato Andreę nomine & Aemilium.
Mox vbi cęperunt puero conſiſtere vires.
Ocia ſub tecto carpere turpe putans.
Turpe putans epulis qui ad grandia munia natus
Et pluma ætatem deſide conterere.
Bella petit cupiens oſtendere maſcula corda,
Sæpius & ſæuo victor ab hoſte redit.
Sæpius armatum fudit fortiſſimus agmen,
Suſpendens Martis clara tropheą tholo.
Sed quid ego hæc memoro, immaturo tradere lęto
Si fortem tandem fortior ipſa poteſt.
Quem non magnanimum qui vicerit omnia, vinceſt.
Quis tibi non cedet nobile natus auo?
M. Conceſſit duris fati quia legibus, haud eſt
(Deſinito iraſci) lętitia vlla mihi.

Ex quo Rex diuum ſpacioſum condidit orbem
  Eq́ hominem vili mox animauit humo.
Id Natura paterq́ deus commiſit obire
  Mi officium, & nulli parcere præcipuit.
Ingenti Imperio prorſus parere neceſſe eſt,
  Per me diſſolui textile oportet opus.
Hac lege extinctus parua tumulatur in vrna
  Darij domitor, quem tulit Emathia.
Hac lege Auguſtus victricem deſerit vrbem,
  Atq́ orbis latum totius imperium.
Hac lege in Cineres abierunt tot dominantum
  Millia, tot vatum, belligerumq́; virum.
Nec mihi ius aliquem arbitrio proſternere noſtro,
  Altitonantis heri numine quiſq́ cadit.
Ipſe iubet puerum feries mox protinus illum,
  Siue ſenem, capio triſte miniſterium.
Et ne lędantur vitij contage, pudicam
  Imperat accíri quos ſcit habere fidem.
Conſorteſq; facit Cœli, ſociatq́ piorum
  Concilio, nitido ſidere datq́ frui.
Hic vbi virtutum meriti impenduntur honores,
  Aetherna & laudis præmia præteritę.
At quos fœdarunt maculis ſcelera impia, quiq́
  Nil niſi nouerunt carpere delitias.
Dat ſpacium vlterius viuendi, & prorogat æuum,
  Prorogat, errorum quo bene pœniteat.
Atq́ ita purgati migrent velocius arcem
  In ſuperam, vacuos lęti habitentq́ foros.
Sic æquum cuius luges nunc funus acerbum
  Elyſię arua virum vallis amœna tenent.

Gaudet vbi Proſper Romani aſſertor honoris,
Cognato & genitus ſanguine Fabritius.
Aualus atq; heros, Luculli & diuitis hęres,
Conſilio magnis anteferendus auis.
Heſperię & columen conſaluus grande verenda
Pannoniæ cuius ora numiſma gerit.
Hi venientem hominem lęta cinxere corona,
Et ſummo laudes concinuere Ioui.
Qui dulcem dum vita fuit conceſſit amicum
Cernere, & vnanimi iungere poſſe choro.
Hæc merces obijſſe ſibi, non mortuus ille eſt,
Vt reris ſtultis falſus imaginibus.
Aſt alijs longe viuit felicior oris,
Parce igitur querula lędere voce virum.
Nanq; dolet gemitus charorum, pectora planctu
Offendunt manes lęſa grauiq; ſuos.

Ad Nicolaum Coſtum Pontificij iuris doctorem.

DEſine mirari ſi te cœleſtia fantem
Tam bene deſtituit vulgus vbiq; rude.
Et tua faſtidit ciuis præcepta proteruus,
Dęmonis inſidias quæ ſuperare monent.
Polluit hæc ſemper ſtultos infamia, & iſta
Scilicet heu patriæ viſcera peſtis habet.
Turpibus alloquijs didicit proſcindere doctos,
Atq; hos præcipue quos generare datum eſt.
At contra fures, quibus impia fędaq; vita
Eſt ſibi dedecori, laudat amatq; leuis.

Commendat ſcurras, nebulones, Sardanapalos,
Maſſica qui genti perdere vina modo.
Heu quibus heu monſtris vrbs hæc largitur honores?
Heu quos Cyclopas anguipedesq; fouet?
Et tu quem Veneti nimium coluere quirites,
Atq; Antenorei gens ſtudioſa duces.
Huc vbi veniſti, nil tutum nil & amicum
Conſpicis, & paſſim cuncta maligna vides.
Nimirum inuidia eſt, quæ te traducat, & ęquum
Improbat, & mores exigit illa pares.
Quid ſi non doctus vanas per compita voces,
Irrita iactares verbaq; quadriuijs?
Quid ſi oranti parua foret facundia? cum ſis
Torrenti ante alios nobilis eloquio.
Quid ſi polluto vitijs tibi crimina poſſet
Obijcere, & vitam labe notare tuam?
Cum ſis vel Tatio melior, probiorq; Catone,
Et preſtes Sanctum Religione Numam.
Neu tamen incępto deſiſte, oſtendere perge
Nicolee æthereum ceu teneatur iter.
Scilicet olim homines dum ſoter degeret inter
Iuſſere & ſacri poſtmodo Pontifices.
Quippe tuum officium eſt rudibus documenta ſalutis
Tradere, & errorum tollere materiem.
Non ſic naturę dominum, Regemq;, deum p̃,
Delectant larga prębita thura manu.
Non ſic pauperibus conceſſa pecunia, non ſic
Syncęra ad ſeſe victima miſſa fide.
Non ſic numen habes dextrum, ieiunia quando
Solus, deflexus concipis atq; preces.

Tunc magis acceptus, pandis qum dogmata legis
Diuinę, & partus virginis ore tonas.
Inſtruis & populum, fœlicia regnaq; iuſtis
Quæſita, obſcœnis atq; Acheronta refers.
Diuum propitios acquires ipſe fauores,
Hac & eris ſolito charior arte Ioui.
Præcipe, carpe, mone, quãuis non præbeat aures
Turba, dolens fieri tot malefacta palam.
Sat tibi ſat ſi vnus dicenti doctus & alter
Aſtiterit, rurſum hi fac abeantq; procul.
Tecum ſemper erit Franciſci numen amicum,
Cũq; ſuo Paulo clauiger ęthereus.
Et qui Iordanem iuxta puer auia eremi
Deuitans hominum ſemina, magnus adit.
Atq; ibi iam ſobolem Cœlo demittier almam
Commemorat, pacem gentibus atq; dari.
Nunq̃ ſolus eris, ſemper tibi crede propinquum
Sermonis captum nectare virgigenam.
Atq; tua Angelicas legiones dicta probantes.
Vt caſſi quondam lumine dicta Bedę.
Ergo qum Superum liqueat deſcendere Cętus
Te auditum, nulla te rogo luce ſile.

Ad Iacobum Antonium palmum iudicẽ.

QVm tibi ſit doctrina ingens Iacobe bonoȝ
Præſidium, latiјs concelebrande modis.
Sintq; pij mores, quos Magni pace Maronis
Iurarem phrygium non habuiſſe ducem.
Qum ſis munificus ceu noui, & ſemper auari
Oſor, diuitias qui cumulare parat.

Parcæ laboriferis animum laſſare camęnis,
Et nimium ſtudijs parce vacare bonis.
Nam ſatis æſtiuo mihi crede Camille calore
Diſcimus, & colimus pignora Mnemoſynes.
Si nullis vixiſſe datur languoribus, atq;
Fas eſt illęſos prætcrijſſe canem,
Sint tibi ſint viles quos carpit ab arbore fętus
Villicus, heu ſtomacho bella necemq; parant.
Sed pyra præcipue vitabis, perſica necnon,
Quæ madefacta acri ſunt capienda mero.
Quid te flaua velim nunc eſſe Cydoma? quid nunc
Delectent guſtus mellea poma tuos?
Gallinæ at teneros atq; oua recentia, fœtus
Sæpius & vitulę viſcera pinguis ede.
Et leporem fęcundum, & parui temporis aprum,
Quem nemus atq; alti deuia montis alunt.
Vicini interdum & piſces quos vnda Neęthi
Quos & Arundineus Aeſarus amnis habet.
Hæc monui, non q; te fors latuiſſe putarem,
Quæ peragenda æſtu, quæ fugienda forent.
Sed præcepit amor deducere carmen amice
Candide teq; boni conſuluiſſe decet.
Omnia nec cecini, cantanti plura ſuperſunt,
Quæ ſatie cogor conticuiſſe graui.
Vndiq; me Herculei vexant ſine fine labores,
Vndiq; curarum perpete mole premor.
Nam nunc inſani gliſcit vis effera morbi,
Ventilat accenſas ſęuus amorq; faces,
Litigioſa fori nunc me vadimonia quærunt,
Degere nec fas eſt ocia Pieridum.

Vna tamen ſpes vna fouet, fouet vna voluptas
Semper amicitiæ commeminiſſe tuę.

Ad eundem.

E*T tibi commendo charum mage lumine fratrem,*
Commenda illuſtri Theſea tuq́ʒ Duci.

Ad Nicolaum Salernum.

S*Cire velim quid preſſa diu celetur in arca,*
Qum ſit tam vario Muſa colore decens.
Terra manet Venetum, tuſciſq́ʒ optatur in oris,
In placido ſtatuet parthenopea ſinu.
Vrbs viden vt diuum genitrix, & Cecropiſarces
Temporibus nectant myrtea ſerta tuis?
Pande Salerne fores, nec ſic bona pignora durus
Intus habe, duris excruciesq́ʒ modis.
Iſta petit Phœbus, qui dia epigrammata vatum,
Et dulci liquidum nectare carmen amat.
In tenebris degant opici monimenta Magiſtri,
Et turpem Cariem ſuſcipiantq́ʒ ſitum.
Tu Nicolae potes tutus volitare per ora
Doctiloqua, & geminam condecorare lyram.

Ad Ferdinandum Spinellum
caſtriuillarum ducem.

N*On ſic Traianus Cæſar Dux Inclyte, non ſic*
Marcellus, non ſic Scipio viſus erat.
Non ſic Darium & Porum qui vicit heroum,
Aſſidue cuius ſtrenua facta legis.

O tibi quæ facies rigidas flexura puellas?
O tibi quantus honos corporis, atq; decor?
O quæ verba tuo manabant ore? diſertę
Quinetiam Aonides, quinetiam Charites?
Quis luſus, niueoſq; ſales, placideq; ruentem
In pauli ferro pectora non adamet?
Pręſertim hoc reliquis prę ſtas heroibus, es q;
Magnanimus, comis, compoſituſq; pius.
Hæc dos nimirum regali ſanguine natis
Conuenit, inuictis vnaq; Cęſaribus.
Parce precor Fernande decus patriæq;, domuſq;,
Eximia & Regni gloria parthenopes.
Si tua adoratum procedens numina ſupplex
Nil rerum ſortis nullaq; dona tuli.
Nemo ſalutabat ſine parthum munere Regem,
Hunc ſatis & morem ſcilicet ipſe probo.
Itureo ſed qum melior ſis imperitante,
Ipſeq; Achęmenijs anteferendus eris.
Nil tanto eſt dignum viſum duce, græcia ſeruit
Cui magna, atq; venit ſub Milo iura libens.
Cuius & imperio oebalij parere Coloni,
Aequoreuſq; parat iuſſa ſubire Taras.
Quantus eris, qum te ſublimior aula Tarenti
Vrſino capiet quondam habitata duce.
Quantus eris, pigri accedent quando arua galeſi
Fęcunda & titulis appula terra tuis.
Tunc tunc aſpicias propius, nec temne Clientem
Qui te deuoto Theſea corde colit.
Tunc tribues modicam ſecus & tua culmina ſedem,
Hęrebo excęlſo lętior & Solio.

Iſta tamen quæ Terpſychore quæ gratus Apollo
Largitur, forſan dona probanda reor.
Hæc pandunt arcana animi tibi dedita, corq;
Et genium, & totum Theſea perpetuo.
Tu dominus numenq; meum es, requieſq;, ſaluſq;,
Iactatæq; notis anchora firma rati.
Te ſine nil tutum nobis, nil deniq; felix,
In te ſpes omnis figere multa iubent.
Soſpite te intrepidus diſcrimina cuncta ſubibo,
Millia & infracto robore monſtra premam.
Soſpite te noſter non unq; frater egebit,
Qui mihi luce oculi dulcior, atq; anima eſt.
Qui tibi tot latijs ſeruire quiritibus ambit
Neglectis, ſupero poſthabitoq; Ioue.
Semper ama, & lateri quæſo placidiſſime iunge,
In te nam illius plurima vbiq; fides.

Ad Petrum Caruſium pul-
ſantem lyram.

SEmiferum chirona Thetis quando anxia adiuit,
Pellides fertur ſic tetigiſſe fides.
Et Thalamos Nerei tuos, ſæuæq; Nouercę
Iuſſa canens, vicit quæ Amphitryoniades.
Et ſic Amphion Thebarum mœnia condens
Qum dura in numeros currere ſaxa ſuos.
Et ſic biſtonius rigidum qum flexerat Orpheus
Tartareum Regem, tartareumq; canem.
Es tu Petre linus noſter, tu noſter Apollo,
Et Dauid dulcis ſat Catus arte lyræ.

Ad Ianum Dominicum bibaquam.

QVm tibi ſint artus humiles, ſint membra minuta,
Vnde tibi vires vndeq́ ſunt animi?
Dominice ingenium miror ſtupeoq́ benignum
Vſq́ tuum, mores ſuſpicioq́ probos.
Quod mihi tam facilis toties tam gratus amicus
Sæpius es, grates innumeras habeo.
Sic te ſupremam ſeruent ad fata ſenectam
Mitia, diuitias accumulentq́ Mydę.

Ad Nautas.

POenituit tentare ſalum imperium Ennoſigæi,
Vos ſine me fragilis tranſtra ſubite ratis.
Cunctipotens vacuum volucri pater aera, vaſtum
Piſcibus atq́ fretum, terram hominiq́ dedit.
Ni foret alta petens alis temerarius vſus
Icarus, icarię non legerentur aquę.
Lucifero & genitus ni ſcanderet æquora Ceyx,
Non in littoream naufragus iſſet auem.
Quiſq́ elementum habitet proprium, ſedeſq́ negatas
Effugiat, ſolida ſtabo ego ſemper humo.
Spurca cauenſq́ pericla Neapolin impiger ibo
Recto terrarum tramite Chalcidicam.

Ad Bernardinum muſitanum.

NOn tibi ſit tanti tetrici fera muſa poetæ,
Vt metuas mollis carpere dona tori.
Quid ſtas? tolle piam caſta de coniuge prolem
Muſitane, qui es illa futura ſeni eſt.

Ad Franciſcum Franchinum Coſentinum.

NObilibus proauis generate, & ſanguine priſco,
Quem nimium obſeruat brutia Tybris amat.
Per patrioſq; lares, per flauum crathidis amnem
Da requiem feſſo, da auxiliumq;, rogo.
Tu ſtudijs ſpes vna meis Franchine, meumq;
Exornare decus copia magna tibi eſt.
Sic te ſublimi videat Coſentia curru
Chara vehi, hanc Romæ numen opemq; ferat.

Ad Clementem Septimum
Pontificem maximum.

SAncte pater cui cuncta patent arcana ſupremi
Virgigenę, totum mente capiſq; deum.
Ni tu præſidium tuleris, nec celtica pubes
Nec Turcas Cæſar vincere poſſe datur.
Chriſticolum ante omnes arctis ſuccurrere rebus,
Ottomanumq; trucem ſub iuga ferre potes.
O clemens, quo nil extat Clementius arma
Suſcipe, & eoi principis arma tere.
Vſq; tuis aderit felix victoria bellis,
Terrenum & numen ſic coluiſſe volet.
Hoc Venetum aſſidua poſcit prece Curia, poſcunt
Gallorumq; acies, Theutonicæq; manus.
Hoc Attica olim tellus ſapienſq;, potenſq;,
Et quam Chriſti hoſtis Theſſalonica premit.
Hoc te parthenope, magnorum Regia diuum
Imperijq; Caput te tua Roma rogat.

Ad Clementem Sep. Pont. max.

NVnq; Germani potuiſſent pellere Turcas
Finibus auxilio militis heſperij.
Iuſſa ſed alme pater ieiunia, verbera, fletus,
Deleri veteres flagitiumq; notas.
Deſeruiſſe nefas pauido dum præcipis orbi
Viuimus, ętherno conciliaſq; Ioui.

Ad Nicolaum lapanum.

NIcolee exornas noſtri qui principis aulam
Doctrina, ingenio, dexteritate, fide.
Opto videre Sophi diuina poemata alumno
Quo multa felix Daunia fruge tumet.
Tu præſtare potes, nam nuper Regia ab vrbe
Duxti, igitur votis ſat face amice meis.
Sic te maiori decoret Galeotus honore,
Munificuſq; ſua largius auctet ope.
Sic & Clara atauis & diuum ſanguine laudet
Vſq; miniſterium Delanyra tuum.
Sic tibi & Andreas faueat puer, & puer alter
Magnanimus, ſcitus tertius atq; puer.

Ad Quendam.

VEſanum ac fatuum cuncti necnon nebulonem,
Atq; parum expertum doctiloquumq; vocant.
Quòdq; tibi tribuis plus æquo, pharmaca miſta
Immatura tua fata feruntq; manu.
His ego ſuffundor calido mihi crede rubore,
Nanq; amo te, & contra ſtrenua bella paro.

Contendo eſſe pium, ſalſum, fidumq́, Galenum
Arteq́ phœbea non viguiſſe magis.
Sed vincor. iugis tundit clamorq́ cerebrum,
Millibus atq́ hominum non ſatis eſſe queo.

Tumulus Cypriani plaſterani.

QVi fuit interpres phœbi Aonidūq́ Sacerdos,
Quem non deuicit Cypria Cyprianus.
Cyprianus ſæcli ornamentum (heu triſtia fata)
Non potuit rigidam flectere Perſephonen.
Mortem obijt, mandatur humi, heu celeberrime priſcis
Vir merito nobis annumerande viris
Quid tibi profuerunt ſtudiorum ſedula cura,
Et niuei mores, ingenijq́ bona.
Si tandem legis parcarum paſſus amarę
Sæuitiam, duro clauderis hoc tumulo?
Error an hic eſt? Si viuę nunc laudis honore
Viuis, poſt cineres & pia fama volat.

Ad Regem Turcarum.

QVid Rhodios iactas Turca euboicoſq́ triūphos,
Si vires oriæ nunc tua regna tremunt?
Melphius hic Princeps toto fraudauit honore,
Non eſt ꝙ cupias Tybridis amne frui.

Ad Nicolaum papandrum.

QVæſiſti ceu viuat amice Caſoperus, edam,
Peius q̄ clauſi carcere perpetuo.
Nam ſtimulos acuit paupertas, pungit, & angit,
Deijcit & miris mentem animumq́ modis.

Diſpeream ſi monſtra nigri crudelia ditis
 Aeque habet atq; æque turpia vaſta domus.
Conſulit hæc nil audere ingenuiq;,probiq;
 Altaq; præſertim munia obire vetat.
At alias auget ſæuiſſima ſaſtia pęnas,
 Atq; alias,nullo feſſa labore meo.
Et ſtyge miſſa recens modo corda perurit erinnys,
 Hoc ſupereſt tandem dicere amice',fui.

Lectulus.

SVm requies feſſo ſtudijs tibi grata,leuamen
 Idem curarum,dulceq; confugium.

Ad Chriſtum dominum.

PArce tuo populo bone ſoter,parce fideli,
 Parce precor,pietas conuenit alma tibi.
Te decet eſſe pium chriſte o miſerere laborum
 Tantorum,oſtendas matris & ora pię.
Aſpectu hæc omnes mundi componere fluctus,
 Proſtratoſq; animos vna leuare poteſt.

Ad Galeotum Carrafam Sanctæ
Seuerinæ Comitem.

NOn decet in choreis bone Dux abſumier annos
 Natorum teneros,grammata at vſq; legant.
Quid tam ſublime eſt q̃ cauſas noſcere rerum?
 Quid tam grande vnq̃ q̃ didiciſſe fuit?
Præſtaret fidibus nati erudirentur,vt ille
 Qui potis Iſmaria ſaxa mouere Chely.

Arte lyræ Aeacides curas lenibat amaras,
Argolici Troiam dum obſidione tenent.
Vulgare eſt ſaltare,& mimi lege proterui
Ad numerum inſtabiles vertere ſæpe pedes.
En puerum patrui qui dictus nomine,molles
Semiuirum Choreas plaudere more piget.
Faſtiditq; etiam generoſa hæc ludicra proles
Franciſcus,quem mox martia bella manent.
Nicoleum Sophia ingenio ſibi vendicat acri,
Cuius ab ore fluunt nectar,& Ambroſia.
O quantum decoris capiet Carrafia,quantum
Laudis Aquinatum regibus orta domus.
Hiſq; ferax plus ſe Campania iactat alumnis,
Quam tot Cæſaribus Roma,tot & Fabijs.
Horum igitur vitam curato nauus,& huius
Nocte die nimium te meminiſſe iuuet.

Paulus.

ARrexi quoties nec Thais nec Ganymedes,
Dextera cunnus erat,dextera & anus erat.

De ſe ipſo.

SI quondam carmen luſi ſuſceptus in antra
Muſarum,lenes concinuiq; modos.
Id mihi ſidereas dilecta fideliter vſq;
Faſtia Dia nurus inter habenda dedit.
Hæc animos oculis faciebat mitibus,atq;
Sæpius ingenij flumina,vimq; noui.
At nunc nulla meis faueat quum faſtia cęptis,
Nullus Apollo mihi,nulla camęna fauet.

Ad Marcum antonium magnum.

VT nona Carraſos proles auctura penates
Quod ſuperi imperio, laude, decore ſinant,
Lucem hauſit, tentaui ortus celebrare recentes,
Et placido lętum carmine Magne diem.
Suffecere parum vires conatibus ęgrę,
Grande onus haud humeri ſuſtinuiſſe queunt.
Non his fata errato ſat ſunt tua carmina cęptis,
Poſco alium, poſco qui bene feſta canet.
Scilicet euganeis vates clariſſimus oris
Editus hæc Magnus tutius orſa capit.
Magnum magna decent, humiles paruumq; paratus,
Quæ non firma ſatis littora prora legat.
Illa poteſt tandem penitus ſe credere ponto,
Quæ ſæpe Ionij murmura ſæua tulit.
Ipſe igitur quem Muſa petit natale verendum
Infantis magni ſcribere Magne para.

Ad Macum antonium Magnum.

DA mihi quod debes quæſo doctiſſime Magne.
Hanc ad ſufficiat detinuiſſe diem.
Da mihi quod debes efflagito, munera noſtri
Quam tua me capiant, perpetuumq; iuuent.
Quod ſemel eſt alij promiſſum, vel ſemel exit,
Non potes in proprijs connumerare bonis.

Loquitur Hieronyma Caſopera
vita functa.

NObilis ipſa fui, generoſo iuncta marito,
Iuncta viro miti mitis & ipſa fui.

Deſeruiſſe piget nimium ſocialia Caſti,
 Iura tori,& chari fœdera ſancta viri.
Nati omnes angunt miſere,ſed vulnere Paulus
 Infans maiori ſauciat ægram animam.
Sauciat ægram animam Paulus,quem duriter annum
 Foui,alui,atq; anni dimidium alterius.
Nec niſi matris amat complexum,alienaq; temnit
 Hubera,non noti lactis & odit opem.
Hunc Franciſce mei ſi tangit cura doloris
 Corda recens,vlnis accipe quæ quæſo tuis.
Dulcia qumq; libet puerilibus oſcula labris.
 Figere,fige iterum,mœſtus & adde mea.
Tu ſolus noſtris ſpes vna & gaudia natis
 Es ſuper,eſt tecum pondus & omne domus.
Tu modo filiolis inducere parce Nouercam,
 Sanguine ab atra meo ſit procul iſta lues.
Connubijq; fidem poſt pallida funera ſerua.
 Sis precor o caſtę coniugis vſq; memor.
Contingit facile haud coniux bona perdito in æuo,
 Vſq;adeo patet ad crimina lata via.
Scis fuerim ſemper velut obſequioſa,procurans
 Commoda,longe abigens cunctaq; damna domus.
Vt matrem Senio languentem hydropeq; diro
 Curarim blanda nocte dieq; manu.
Dilexi vtq; pie fratres complexa,ſorores
 Syncęri ingenti cordis amore colens.
Et nunc ob placidos capio pia munera,mores,
 Cultę apud & viuos nunc mihi laudis honor.
En habet en hilaris regio,flammantia cœli
 Et loca,quæ magno ſunt propiora Deo.

Et vitream ſedem, & ſeptenos deſuper orbes
Deſpicio, gemino fixaq; in aſtra polo.
Aerium & tractum, vaſtiq; vndantia ponti
Marmora, & in centro immobile pondus humi.
Rideo facta hominum felix, caſſoſq; labores,
Votaq; ſupplicio non caritura graui.
Gaudiaq; a falſis temere venientia cauſis,
Irarum & fluctus, degenereſq; metus.
Hic mihi iuncta Comes virtute armata potenti
Spoletinorum clarum Iacoba decus.
Et ſocrus nitido bona laudum lumine lucens
Lucia, quæ ſocrus non mihi mater erat.
Et nata in nullis defuncta Polixena mendis,
Quæ meritum Sanctæ Virginitatis habet.

In Inuidum.

INuide qui noſtrum legiſti carmen, & vſq;
Carpis, ſi quod habes inuide prome tuum.
Nil nocuiſſe valent animo maledicta potenti,
Nec tua me tangunt vulnera, mœſtus abi.

Ad ignotum amicum.

MOs erat in bello deuictos veſtibus hoſtes
Priuare, in ſuperum figere & arma tholo.
Hinc tu dum ferro percuſſo vertice Iudam
Sternis, pellicea vis ſpoliare toga.
Non Iouis hæc habeant non Martis templa, ſed almum
Gymnaſium, diuę palladis atq; forum.

O mitem placidumq; virum, prodeſſe nocendo
Velle, etenim purgas ſtultitia cerebrum.
Stultitia purgas, ſed non purgare poteſtas
Vlla tibi fœda proditione fuit.
Hac cũ lacte bibit, teneris hanc ſuxit ab annis,
Hanc patriæ mores, ſemina dantq; patris.

De ſe Ipſo.

INgenuas didiciſſe mihi quid profuit artes?
Grammaticen iuuenes & docuiſſe rudes?
Perpete quid ſiculas ſtudio coluiſſe Camęnas?
Latoumq; ſimul, bis genitumq; patrem?
Si nullus noſtra ſeruatur nummus in arca,
Si fului loculi ſemper & ęris egent.
Quum mihi nil proſis ſubeas Tymbręe barathrum,
Caſtalideſq; deæ, perpetuoq; puer.
Poſthac curabo non ſacra arcana, perenni
Per me ſordebunt myſtica veſtra ſitu.
Vos celebrent alij, quis menſa eſt ſolis opima,
Quos blando Nemeſis fouit & æqua ſinu.
Molle quibus ſtudium fuit atq; ornaſſe ſecundum,
Vtile pierios & ceciniſſe modos.
Aſt ego bellerophontę quem numina lymphę
Oderunt, odio quis vetat? vſq; ſequar.
Scita legam diuum, forſan prudentia iuris
Me miſerata, nouas accumulabit opes.

IANI THESEI CASOPERI PSYCHRONÆI LIBER SEXTVS.

AD MARIAM VIRGINEM DEI MATREM.

O Virgo alma tui genitrix patris, o bona Virgo,
Aſpice me, atq; hoſtem cõprime Virgo ferũ.
Sat vixiſſe ſat in lachrymis trieteride quinta,
Triſtibus & morbis exagitaſſe animam.
Sit ſatis indignos toties obijſſe labores,
Oppoſuiſſe mari fluctiuagoq; caput.
Sit ſitijſſe ſatis prope grati pocula Bacchi,
Sæpeq; Tantalica deperijſſe fame.
Quo nam vſq; hæc fortuna nocens graſſabitur? adſis
Virgo alma, & tandem tot mea damna leua.
Si tibi ſacra paro, refero ſi ſemper honores
Mane nouo, & purus terq; quaterq; voco.
Quæ placeant nato, tantum mea vota requirunt,
Quæ tua non lędant numina dia rogo.
Non ego dona Tagi quis impia regna gehennę
Quæruntur ſæcli gaudia falſa peto.
Non veneris numeros, natiq; implere proterui,
Aut niuea longa coniuge nocte frui.
Non famulos, comites ue viæ, ſocios ue laborum,
Et non purpureo ponere membra toro.

Scilicet ignaris optata hæc vilia terræ
Inuenio, & ſtultis longe adamata viris.
At qui animo vtuntur, multumq; hauſere ab olympi
Numine, & erectæ lumina mentis habent.
Nil niſi compoſitum cordis penetrale, procellis
Morborum tutum, firmaq; membra volunt.
Quin adeo non ſunt languentia viſcera curę,
In ſano vt ponent corpore pręſidium.
Nam ſæpe ingentes legimus ſpreuiſſe dolores,
Eſſeq; durum aliquid non tamen eſſe malum.
Da mihi da Regina hominum, Regina deorum,
Et rutili felix alipotentis hera.
Da ſuperas penetrare domos, da noſcere rerum
Occulta, & rapidi ſolis adire viam.
Vnde ſalis ſapor eſt? quæ cauſa coherceat æquor?
Inq; ſuis faciat. ſiſtere liquoribus?
Vnde patri ſimiles nati generantur? & vnde
Verum non referant vultu habituq; patrem?
Vndeq; adulterio conceptus ſæpe maritum
Demonſtret Matris, connubiumq; probet?
Cur ſtolidus genitore Cato naſcatur, & infans
Facundus pater eſt qum Cicerone magis?
At ſi Natura indignum me talia myſtam
Noſſe vetat, pulchro diſſociatq; choro.
Edocear legum ambages, pręceptaq; iuris,
Altera & accipiat Philoſophia ſinu.
Sit fas cauſidicos inter florere diſertos,
Sit fas ſollicitos voce iuuare reos.
Non mira hęc, non magna quidem ſunt pręmia virgo,
Mens ſed in hoc nimium lęta quieſcit, hiat.

Iampridem hijs ſtudijs deuotus diſcere leges
Tentaui, ſed ſunt fata inimica mihi.
Non quia mi ingenium deſit, ſtudijq́ voluntas
Sedula, ſed quia ſunt fata inimica mihi.
Deceſſi patria, pelagi diſcrimina noui
Millia, Cæſarea deniq́ in vrbe fui.
Neſcio quid noſtris dirum tunc obſtitit orſis,
Obſtitit, atq́ aliud carpere iuſſit iter.
Nam remeo, nondum qui noram limina ſacri
Gymnaſij in Calabrum flenſq́ gemenſq́ ſolum.
Et nunc in tenebris vitam traho mœſtus egenam,
Bacchus & inuiſus pegaſideſq; vocant.
Ingratumq; adigunt carmen deſcribere, Carmen
Quod mihi pauperiem triſtitiamq; parit.
Inde miſer trita velo mea membra lacerna,
Inq; humili cogor delituiſſe domo.
Hinc odium, liteſq; graues ſubijſſe malorum
Contigit, inuidia perpetuumq; premi.
Sat nocuit didiciſſe mihi, vos linquite quæſo
Solum pierides, nam coluiſſe piget.
Linquite me expertem laudis, lauriq; coronam
Accipite, & vati ſerta parate nouo.
En demo, tędetq; inopem monſtrare poetam,
En ſpolio paphię tempora fronde deæ.
Tuq; poli & nigri princeps ſanctiſſima auerni
Suſcipe, da exilium, dexteriorq; iuua.
Suſcipe, ne rapiant malefidę in deuia Muſę,
Parnaſſi inuitum montis in antra trahant.
Oſtende atq́ viam facilem, qua ſontica vincam
Numina, qua me nunc aſſeruiſſe queam.

Scilicet expectat cauſarum Curia, ſæuis
Litibus vt placidus fędera amica darem.
Non vt ceu multi multos præſto eſſe clientes
Glorier, & tumida fronte ſuperbus eam.
Mens non iſta mihi eſt, patriæ ſed iura tueri,
Atq; patrocinio ciuibus eſſe meis.
Pupillos inopeſq; homines, viduaſq; miſellas
Protegere, inualidos vſq; & amore ſenes.
Et rem diuinam in primis defendere nulla
Mercede audacter, vulnera nulla timens.
Atq; hoc polliceor, voueo, iuro inclyta virgo,
Si fallo, ſapiant non mihi Vina, Ceres.
Si fallo, abiectus degam ſine nomine, morbi
Exors nullius, omnium egenus opum.
Si fallo, extremoq; die, cęliq; ruina
Poſthabitus fallar, deſpiciarq; tibi.
Addita pragmaticis at ſi aſpirare caducis
Eſſe parum videas vtile conſilijs.
Admonuiſſe velis carpentem munera ſomni,
Dirige meq; alia quæ tibi grata via eſt.
Monſtra ſigna animi cui nam me dedere vitæ
Iuſſeris, & quo nam pergere Virgo placet.
Nam faciam tua iuſſa libens felicior omni
Diuite, quo uis & principe, quo ne Sopho.
Vlteriuſq; loquar nec Commentaria Caij,
Mutus ero ad muſas, iuraq; mutus ero.
Sim quãuis aptus fęcundo & ſemine natos
Gignere, prole homines multiplicare noua.
Præcipe Franciſci tunica zonaq; recepta,
Abdita clauſtra colens vſq; pudicus agam.

Et quãuis genius ſit in ocia gaudia luſus
Pronus, mœſtitiam mente oculiſq; geram.

De Feliciana Carrafa, Galeoti carra.
Sanctæ Seuerinæ comitis filia.

Felix nimirum tanta Sebethus Alumna,
Tyrrhenum tumidas in mare mittit aquas.
Sed magis eſt felix genitor, genitrixq; pudica
Heroum certum Deianyra genus.
Non temere impoſitum eſt nomen, nam laude celebri
Lętitia eſt vrbi plurima partu ſuæ.
Gaudet Aquinatum ſoboles, Carrafia geſtit,
Et populus Calabrum pronus honorat heram.
O cedat Dauali generoſa Columnia Coniux,
Præcipuum Romæ Parthenopeſq; decus.
Cedat & antiquæ Lucretia laudis imago,
Et quaſcũq; tulit inclyta terra nurus.
Vna hæc virtutum ante omnes præfulget honore,
Hæc niueę eſt hęres vera pudicitiæ.
Huic roſeus pudor, & paucis ſapientia verbis
Iuncta fauet, ſanctis conciliatq; viris.
Et quod laudandum cunctiſq; modeſtia in actis
Atq; exoptandum in virgine præcipue eſt.
Prętereo formæ ſublimia nomina, dotes,
Et plusq̃ humanum prętereo ingenium.
Nam cur non miris commendes laudibus, aurea
Pingere ſi facili tela videbis acu?
Cętera quæ poſſent ſanctos corrumpere mores
Contempſit, priſca ſat probitate decens.

Argumenta animi lepidum ſaltare ſupini,
Et teneros fracta voce ciere modos.

Ad Coſmum baſamum Sacræ
Theologiæ Doctorem.

QVæ ſunt tam Sophię velata ęnigmata, quæ non
Luce magis fiant clara & aperta tibi?
Tam doctum nec habet Calabrum prouincia, nec tam
Daunia facundum, Trinacria atq; ferax.
Heroum nec tam felix Campania mater,
Quãuis ſit Nipho condecorata Sopho.
Eridanus tibi nunc cedatq; Neęthe Timauus,
Nec Paulum vlterius iactet ad aſtra ſuum.
Et Sinueſſanus lyris, Tyberinus & amnis,
Hic eſt quod nunq̃ Roma diſerta tulit.
Quid tantum celebrem ſpacioſa Hiſpania alumnum
Laudat, & aſſiduo ventilat ore Petrum?
En ſibi pręripuit Pſychro decora omnia, honorem,
Semdeum Coſmum dum genuiſſe datum eſt.
Quem miti infantem gremio Sapientia fouit,
Hubera munifica tradidit atq; manu.
Et ſi Pythagoras Samius non falſa docebat
In noua defunctas membra meare animas.
Iſto corde reor Sedem elegiſſe Platona,
In te & diuinum nunc habitare virum.
Qum mihi declaras logicen, torrentior amne es,
Quem ſubita hiberni temporis auget hyems.
Quem mihi declaras logicen, quæ gratia felix,
Dulcis verborum copia quanta tibi eſt?

Hæc non digna domus, te inſubris terra propoſcit,
Iádudum, & rigidi mœnia Martis auent.
Et tua magno emere optarent alpina iuuentus,
Necnon iſtricolę dogmata Theutonicą.
Illic parta manent te ingentia munera, laudes,
Ocyus huc te fer, nec diu abeſſe iuuet.
Linque humlem patriam, molimina honeſta capeſſe,
Innectit blandam quæ tibi cauſa moram?
Tanti non ſint Germani, genitrixq;, ſororq;,
Speratum decus vt poſthabuiſſe velis.
O ſi te videant Neptum præſidis arces,
Tam bene & in medio mœnia iacta ſalo.
Quantus erit cantus procerum, Venetiq; Senatus?
Quantum Antenoreę gaudium & vrbis erit?
Illuc tende alacer felici ſidere, fauſtis
Atq; auibus, noſtri per maria ampla memor.

Ad Nicolaum amalfitanum.

NIcolee haud temere tanti eſt Ariadna caloris
Cauſa, racemifero digna Ariadna Deo.
Haud temere miſcet venis incendia, & angit
Totum animum nullo digna Ariadna viro.
Haud temere noctem vigilas, ingrataq; fundis
Lamenta, exagitas roboreamq; forem.
Haud temere nunq; inuiſis tua prædia, quæ dat
Munificus puero præcipua ipſe parens.
Haud temere tota digito monſtraris in vrbe,
Vt Clitemneſtræ filius atq; furiis.
Haud temere oblitus recti, nec cura procuras,
Et monitus ſpernis verbaq; amica ſenum.

Si te culparem nato Telamone profecto
Et magis inſanus toruo Athamante forem.
Num tibi ſunt ſilices,num duri lamnæq; ferri?
Num tua num gelidum pectora marmor habent?
Vt non te tangant tam raræ virginis ora,
Ora niue atq; indo candidiora ebore.
Si ſic reſplendet peream præteria Paula,
Paula Mycenæa plus adamanda nuru.
Vrbs quã Miſcelli indulſit præclara videndam,
Vrbs nimium attiguo nobilitata mari.
Tam viuum fulget peream ſi Argentea Iani
Coniux,quæ ligures ſæpe recenset auos.
Tam placidum fulget peream ſi Aurelia,& illa
Deceſſit functio quæ taciturna viro.
Tam lepidum fulget peream, ſi Aruinia,noſtris
Vna eſt temporibus quæ muliebre decus.
Felix quippe potes fortunatuſq; vocari,
Ad ſua ſi tandem tecta Ariadna vocat.
Infelix potes infortunatuſq; vocari,
Ad ſua ſi nunq̃ gaudia & illa vocat.

Ad Paulum baſamum.

VErgilij ſortes ethruſcaq; conſulis exta,
An caſta atq; decens nupta futura tibi eſt?
Laidas eſſe omnes hac tempeſtate puellas,
Et rara eſt Lais ſata petita ferunt.
Exilio potius vitam damnabis acerbam,
Semper inhumanis iunctus amice feris.
Præſtat continuis animam laſſare periclis,
Victa maritali q̃ dare colla iugo.

Vidi mille viros felices cętera, męſtos
Polluti ſola ſed modo parte tori.
Si pulchra eueniet miſerum torquebit, vbiq;
Aſpera conficiet curaq; Zelotypum.
Nec ſat cuſtodes adhibere, & ahenea vincla
Addere, cuſtodes ſunt noua cauſa mali.
Sæpius & dominæ Aethiopem miſcere repertum eſt,
Exemplum ſerui ſuſcipe ſtigmatici.
Si tibi continget deformis, plena doloris,
Expers lętitię vitaq; agenda tibi eſt.
Si fuerit dotata ſuperbiet, incitat & ſi
Nobilis in tota pręlia ſæua domo.
Si natos pariet mentemq; animumq; perennis
Anxietas anget, perpetuuſq; labor.
Hinc ægrum mores ſtimulabunt, ſeraq; vita
Sit certum tandem qua ſibi lege mori.
Si occiderint, nil patre eſt infelicius orbo,
Nec ſua quod tantum vulnera triſte fleat.
Si ſterilis coniux, ingratus habebere genti,
Pignora & inuidiam grandem aliena dabunt.
De te rumor erit q̃ telo armatus iniquo
A parte vxorem poſteriore petas.
Scis q̃ naſuti iuuenes ſint, atq; dicaces
Quàm pueri momo q̃ ſtudeantq; ſenes.
Et quis vanorum temeraria dicta coherceat?
Vrbana eſt teſtis cui modo villa placet.
Teſtis itemq; alter de quo vaga fama ſiniſtra eſt,
Quod venter nunq̃ coniugis intumuit.
Et male ſæpe audit doctor tuus, audit & ille,
Quem bona ditauit dextra paleſq;, ceres.

Quod ſemel emiſit fętus, optatq; ſecunda
Quáuis fęcunda eſt fœmina dona uteri.
Ergo tibi in thalamo viuendum eſt Cęlibe ſemper,
Ni damnum mauis ſuſtinuiſſe graue.

Ad Ianum petrum Maium Iudicem.

O Qui nobilium metiris iura virorum,
Interpres legis candide Maie Sacrę.
Quis non infreno diſſolueret ora cachinno,
Marmoreo tetricus ſit licet ingenio?
Sit cui carduum edens riſus excuſſit aſellus,
Atq; Heraclitus qui lacbrymare Sophus.
Antiqua qum tot de nobilitate gerentes
Pręlia patricios conſpiciatq; nouos.
Hic vult cenſeri de ſanguine Troiugenarum,
Et mane & findit ſole cadente ſolum.
Hic genus a pulſo iactat duxiſſe ſuperbo,
Et ptolemeęos perſtrepit alter auos.
Et tamen aſſiduo laxant ſua membra ligone,
Et iungunt domitos diſſociantq; boues.
Turpe quidem indignum eſt, & quod traducere poſſet
Præteritis ſtudijs æmula poſteritas.
Audent nonnulli Hiſpano contendere Regi,
Preſtare Inſubrem & ſtemmate poſſe ducem.
Et (bene nota loquor) vetita vixere rapina,
Et vili fraudes proditione parant.
Non mihi qui prauum ſectatur, nobilis eſto,
Nec qui degeneri terga dedere metu.

Nobilis ille mihi, qui moribus albus honeſtis
  Eſt ſat honoratum commeruiſſe decus.
Nobilis ille mihi, qui Martis ſtrenuus armis,
  In patrio poſuit ſigna inimica tholo.
Nobilis ille mihi, qui phœbi atq; arte Mineruę
  Quæ deceant liquidum, dedeceantq;, videt.
Hos tu laude feras ingenti, ſpernito & illos.
  Virtus vna hominem nobilitare ſat eſt.

Symbolum Sanctæ fidei Chriſtianæ.

VNum affirmo Deum, dominũq; hominũq; parentē,
  Qui fecit natu cuncta regitq; ſuo.
Et natum parili moderantem numine mundum,
  Spiritum & ętheruum qui pia corda fouet.
Natum inquã Sanctæ conceptum Virginis aluo
  Afflatu magni progenitumq; patris.
Affectus quem degeneri formidine Iudex
  Iniuſtus capitis dixerat eſſe reum.
Atq; ita ſublimi fixit ſua Corpora ligno,
  Deforme, horrendum, luctificumq; nefas.
Mortem obijt, terræq; datur, ſtygioſq; receſſus
  Luſtrat, Tartareas expoliatq; domos.
Et viuus nullis redijt violabilis armis,
  Aſcenditq; polos cum patre regna tenens.
Et quum ſumma dies ſupremaq; venerit hora,
  Fas noſcet, ęlſa & crimina nube ſedens.
Ad tenebras ibunt pallentia Regnaq; ſontes,
  Hic vbi pœnam vltrix Thyſiphonea nouat.
At qui vitali coluerunt lumine rectum,
  Et virtute Deo iam placuere pia.

Scandent felices mundi ardua, & aurea olympi
Verbigenę indigna tecta adaperta nece.
Et quicquid tandem Romana ecclesia credit
Credo, confiteor voce alacriq; libens.

Ad Quendam.

QVòd non es doctus nec charis, fidus amicis
Nobilis & totus denicp vulgus ait.
Quòd nihil intus habes, & nil in pectore condis,
Quòd merus es sciolus, & merus ardelio.
Quòd quædam in labijs dicteria, ludicra quædam
Facundum faciunt, & nihil intus habes.
Inceſſuntq;, olim quia te ſermone ſoluto
Necnon ornarim munere pegaſidum.
Quid facerem? cupio laudem famamq; tueri,
Eſt opus eloquio ſed meliore mihi.
Tu tibi ſis præſto potius, vel Anyſius eſto
Fautor, vel Diuum Martyrianus amor.
Quin magis hic Calabros Heros & Crathidis vrbem
Quàm te defendet parthenopencp tuam.
Es ſuper hanc alacri tu animo tu ſuſcipe cauſam
Qui fles cęcorum ſortem epicure trium.

Confitetur Sacerdoti.

SI ſtrinxi gladium in ſuperos ceu perfidus hoſtis,
Nunc eſt in Chriſtum menſq; animuſq; meum.
Sit ſat, ſi me tanga recens piat impia facta,
Mœſtus & aſſidua pectora tundo manu.
Pœnitet en auſis animos impleſſe ſuperbis,
Et faſtu tenues poſthabuiſſe viros.

Pœnitet inuidia æquales carpſiſſe ſodales,
Et bili toties intumuiſſe graui.
Pœnitet atq; epulis quæſitis, & dape lecta
Vixiſſe, exiguos non & amaſſe cibos.
Pœnitet externos maculaſſe libidine lectos,
Ocia & amplexum ſegnia deſidię.
Plus & opes æquo vanę ludibria ſortis
Optaſſe, atq; auida argento inhiaſſe fame.
Incuſtoditis laxas donaſſeq; habenas
Senſibus, & nullo continuiſſe modo.
Si quicq; pulchrum atq; decens vidiſſe recordor,
Quod delectauit mentem oculoſq;, piget.
Si quicq; audacíq; manu tetigiſſe & odora
Nare bonum, & placidas hic poſuiſſe moras.
Et ſi dulce aliquid patulo libauimus ore,
Quod iuuit blando detinuitq; dolo.
Et quicquid toto illiciti commiſimus æuo,
Vel cuius memores immemoreſq; ſumus.
Nunc igitur pater alme Deo qui ſacra miniſtras,
Atq; adhibes vigili maſcula thura foco
Sanato veteris culpę contagia diuum
Affatu, & ſacra dilue crimen aqua.
Solue arctos nexus, quis Dæmon peſtifer ambit,
Tangit virtutum pectora tangit amor.
Ecce genu ante pedes affuſus vtrũq; nocentem,
Me fateor, noxę tu modo da veniam.
Da veniam noxę, tibi rerum Iuppiter auctor
Soluendi Orco animas grandia iura dedit.
Suffice viuam eſcam, viuum ętherumq; liquorem,
In quo Chriſtus ineſt verbum hominemq; gerens.

Hæc poterunt alimenta animam ſaturare perenni
Lætitia, & magno conciliare patri.

Ad Antonium Theganum legum doctorem.

DEbeo non modicum tibi q̃ cunabula legum
Declaraſti olim, faſq; nefaſq; docens.
Debeo q̃ patriam exornas virtutibus vrbem;
Quod nullo macules candida corda dolo.
Debeo q̃ præſto fueris mihi ſæpe vadato,
Idem ſponte tua ſæpeq; ſponſor eras.
Hinc te perpetuo complectar plurimum amorę
Eſt quo gentilem Theſea pirithous.
Siue philoctetem quo Alcmenę filius acer,
Charum pelides ſiue Menętiaden.
Ni fallor, ſors poſterior venerabitur ætas,
Tãq; pia atq; rata nos ſociaſſe fide.
Par erimuſq; recens olim rarumq; fidelis
Quippe ſodalitij, par & amicitię.
Rumpatur quiſquis liuore accenſus amaro eſt,
Aemula rumpatur turbaq;, & oſor iners.
Antonine chely merito laudande latina,
Lętatur tanto fœdere quiſquis amat.
En tibi dextrę adſum pro viribus omnibus horis,
Atq; animi toto robore, & ingenij.
En tibi quicquid adeſt rerum Antonine mearum.
Quicquid & inconſtans & vaga diua dedit.
Et quod præcipuum non parui eſt pignus amoris,
Diuitijs melius diuitiiſq; prius.

In meo honoratus multuſq; legere libello,
Dum ſibi pegaſides vitam animamq; dabunt.

Ad Ianum Coſtum Legum Doctorem.

Q*Vid tantum vxorem functam chariſſime Iane*
Suſpiras? longos collachrymaſq; dies?
Omnia ſcire potes moritura aliquando, videmus
Aſtra mori, nitidum Cynthium & occadere.
Quot ſteterant vrbes quarum vix nomina reſtant,
Nunc vbi Carthago, & pergama dardanidum?
Dic vbi Alexandri pandoſia cęde cruenta?
Vix priſcæ Romæ dimidiumq; hodie eſt.
Vſq; adeo vaſtis eſt deſolata ruinis
Roma, triumphati quæ domina orbis erat.
Clara abauis fuerat coniux tua vtrinq; ſuperbis,
Seruauit thalamis vſq; fidemq; tuis.
Digna quidem longo tecum quæ viueret ęuo,
Digna pari fato ſerum obijſſe diem.
Sed quia ſic fatis viſum, non flere decebit
Poſt obitum quando multi abiere dies.
Nec genus effętum q; ſit muliebre putandum,
Eſt quæ te votis optat habere virum.
Facti auri mulier ditiſſima, pulchra, & honeſta,
Ortaq; nobilibus ceu fuit illa, viris.

In deuotorem numinum.

D*Ementi ſuperos quid voce prophane laceſſis,*
Et cupis excęlſo nectere vincla Ioui.

Scilicet ignaris optata hæc vilia terræ
  Inuenio, & ſtultis longe adamata viris.
At qui animo vtuntur, multumq; hauſere ab olympi
  Numine, & erectæ lumina mentis habent.
Nil niſi compoſitum cordis penetrale, procellis
  Morborum tutum, firmaq; membra volunt.
Quin adeo non ſunt languentia viſcera curę,
  In ſano vt ponent corpore prę ſidium.
Nam ſæpe ingentes legimus ſpreuiſſe dolores,
  Eſſeq; durum aliquid non tamen eſſe malum.
Da mihi da Regina hominum, Regina deorum,
  Et rutili felix alipotentis hera.
Da ſuperas penetrare domos, da noſcere rerum
  Occulta, & rapidi ſolis adire viam.
Vnde ſalis ſapor eſt? quæ cauſa coherceat æquor?
  Inq; ſuis faciat. ſiſtere liquoribus?
Vnde patri ſimiles nati generantur? & vnde
  Verum non referant vultu habituq; patrem?
Vndeq; adulterio conceptus ſæpe maritum
  Demonſtret Matris, connubiumq; probet?
Cur ſtolidus genitore Cato naſcatur, & infans
  Facundus pater eſt qum Cicerone magis?
At ſi Natura indignum me talia myſtam
  Noſſe vetat, pulchro diſſociatq; choro.
Edocear legum ambages, prę ceptaq; iuris,
  Altera & accipiat Philoſophia ſinu.
Sit fas cauſidicos inter florere diſertos,
  Sit fas ſollicitos voce iuuare reos.
Non mira hęc, non magna quidem ſunt prę mia virgo,
  Mens ſed in hoc nimium lęta quieſcit, hiat.

Iampridem hijs ſtudijs deuotus diſcere leges
Tentaui, ſed ſunt fata inimica mihi.
Non quia mi ingenium deſit, ſtudijq; voluntas
Sedula, ſed quia ſunt fata inimica mihi.
Deceſſi patria, pelagi diſcrimina noui
Millia, Cæſarea demiq; in vrbe fui.
Neſcio quid noſtris dirum tunc obſtitit orſis,
Obſtitit, atq; aliud carpere iuſſit iter.
Nam remeo, nondum qui noram limina ſacri
Gymnaſij in Calabrum flenſq; gemenſq; ſolum.
Et nunc in tenebris vitam traho mœſtus egenam,
Bacchus & inuiſus pegaſideſq; vocant.
Ingratumq; adigunt carmen deſcribere, Carmen
Quod mihi pauperiem triſtitiamq; parit.
Inde miſer trita velo mea membra lacerna,
Inq; humili cogor delituiſſe domo.
Hinc odium, liteſq; graues ſubijſſe malorum
Contigit, inuidia perpetuumq; premi.
Sat nocuit didiciſſe mihi, vos linquite quæſo
Solum pierides, nam coluiſſe piget.
Linquite me expertem laudis, lauriq; coronam
Accipite, & vati ſerta parate nouo.
En demo, tędetq; inopem monſtrare poetam,
En ſpolio paphię tempora fronde deæ.
Tuq; poli & nigri princeps ſanctiſſima auerni
Suſcipe, da exilium, dexteriorq; iuua.
Suſcipe, ne rapiant malefidę in deuia Muſę,
Parnaſſi inuitum montis in antra trahant.
Oſtende atq; viam facilem, qua ſontica vincam
Numina, qua me nunc aſſeruiſſe queam.

Scilicet expectat cauſarum Curia, ſæuis
Litibus vt placidus fœdera amica darem.
Non vt ceu multi multos præſto eſſe clientes
Glorier, & tumida fronte ſuperbus eam.
Mens non iſta mihi eſt, patriæ ſed iura tueri,
Atq; patrocinio ciuibus eſſe meis.
Pupillos inopeſq; homines, viduaſq; miſellas
Protegere, inualidos vſq; & amore ſenes.
Et rem diuinam in primis defendere nulla
Mercede audacter, vulnera nulla timens.
Atq; hoc polliceor, voueo, iuro inclyta virgo,
Si fallo, ſapiant non mihi Vina, Ceres.
Si fallo, abiectus degam ſine nomine, morbi
Exors nullius, omnium egenus opum.
Si fallo, extremoq; die, cœliq; ruina
Poſthabitus fallar, deſpiciarq; tibi.
Addita pragmaticis at ſi aſpirare caducis
Eſſe parum videas vtile conſilijs.
Admonuiſſe velis carpentem munera ſomni,
Dirige meq; alia quæ tibi grata via eſt.
Monſtra ſigna animi cui nam me dedere vitæ
Iuſſeris, & quo nam pergere Virgo placet?
Nam faciam tua iuſſa libens felicior omni
Diuite, quo uis & principe, quo ue Sopho.
Vlteriuſq; loquar nec Commentaria Caij,
Mutus ero ad muſas, iuraq; mutus ero.
Sim quãuis aptus fœcundo & ſemine natos
Gignere, prole homines multiplicare noua.
Præcipe Franciſci tunica zonaq; recepta,
Abdita clauſtra colens vſq; pudicus agam.

Et quãuis genius ſit in ocia gaudia luſus
 Pronus, męſtitiam mente oculiſq; geram.

De Feliciana Carrafa, Galeoti carra.
Sanctæ Seuerinæ comitis filia.

FElix nimirum tanta Sebethus Alumna,
 Tyrrhenum tumidas in mare mittit aquas.
Sed magis eſt felix genitor, genitrixq; pudica
 Heroum certum Deianyra genus.
Non temere impoſitum eſt nomen, nam laude cælebri
 Lętitia eſt vrbi plurima partu ſuæ.
Gaudet Aquinatum ſoboles, Carrafia geſtit,
 Et populus Calabrum pronus honorat heram.
O cedat Dauali generoſa Columnia Coniux,
 Prædpuum Romæ Parthenopeſq; decus.
Cedat & antiquæ Lucretia laudis imago,
 Et quaſcũq; tulit inclyta terra nurus.
Vna hæc virtutum ante omnes præfulget honore,
 Hæc niueę eſt hęres vera pudicitiæ.
Huic roſeus pudor, & paucis ſapientia verbis
 Iuncta fauet, ſanctis conciliatq; viris.
Et quod laudandum cunctiſq; modeſtia in actis
 Atq; exoptandum in virgine præcipue eſt.
Prętereo formæ ſublimia nomina, dotes,
 Et plusq̃ humanum prętereo ingenium.
Nam cur non miris commendes laudibus, aurea
 Pingere ſi facili tela videbis acu?
Cętera quæ poſſent ſanctos corrumpere mores
 Contempſit, priſca ſat probitate decens.

Argumenta animi lepidum ſaltare ſupini,
Et teneros fracta voce ciere modos.

Ad Coſmum baſamum Sacræ
Theologiæ Doctorem.

QVæ ſunt tam Sophiç velata ęnigmata, quæ non
Luce magis fiant clara & aperta tibi?
Tam doctum nec habet Calabrum prouincia, nec tam
Daunia facundum, Trinacria atq; ferax.
Heroum nec tam felix Campania mater,
Quãuis ſit Nipho condecorata Sopho.
Eridanus tibi nunc cedatq; Neęthe Timauus,
Nec Paulum vlterius iactet ad aſtra ſuum.
Et Sinueſſanus lyris, Tyberinus & amnis,
Hic eſt quod nunq̃ Roma diſerta tulit.
Quid tantum celebrem ſpacioſa Hiſpania alumnum
Laudat, & aſſiduo ventilat ore Petrum?
En ſibi pręripuit Pſychro decora omnia, honorem,
Semideum Coſmum dum genuiſſe datum eſt.
Quem miti infantem gremio Sapientia fouit,
Hubera munifica tradidit atq; manu.
Et ſi Pythagoras Samius non falſa docebat
In noua defunctas membra meare animas.
Iſto corde reor Sedem elegiſſe Platona,
In te & diuinum nunc habitare virum.
Qum mihi declaras logicen, torrentior amne es,
Quem ſubita hiberni temporis auget hyems.
Quem mihi declaras logicen, quæ gratia felix,
Dulcis verborum copia quanta tibi eſt?

Hæc non digna domus, te inſubris terra propoſcit
Iādudum, & rigidi mœnia Martis auent.
Et tua magno emere optarent alpina iuuentus,
Necnon iſtricolę dogmata Theutonicą.
Illic parta manent te ingentia munera, laudes,
Ocyus huc te fer, nec diu abeſſe iuuet.
Linque humilem patriam, molimina honeſta capeſſe,
Innectit blandam quæ tibi cauſa moram?
Tanti non ſint Germani, genitrixq́ꝫ, ſororq́ꝫ,
Speratum decus vt poſthabuiſſe velis.
O ſi te videant Neptuni præſidis arces,
Tam bene & in medio mœnia iacta ſalo.
Quantus erit cantus procerum, Venetiq́ꝫ Senatus?
Quantum Antenoreę gaudium & vrbis erit?
Illuc tende alacer felici ſidere, fauſtis
Atq́ꝫ auibus, noſtri per maria ampla memor.

Ad Nicolaum amalfitanum.

NIcolee haud temere tanti eſt Ariadna caloris
Cauſa, racemifero digna Ariadna Deo.
Haud temere miſcet venis incendia, & angit
Totum animum nullo digna Ariadna viro.
Haud temere noctem vigilas, ingratiq́ꝫ fundis
Lamenta, exagitas roboreamq́ꝫ forem.
Haud temere nunq́ꝫ inuiſis tua prædia, quæ dat
Munificus puero præcipua ipſe parens.
Haud temere tota digito monſtraris in vrbe,
Vt Clitemneſtræ filius atq́ꝫ furis.
Haud temere oblitus recti, nec cura procuras,
Et monitus ſpernis verbaq́ꝫ amica ſenum.

Si te culparem nato Telamone profecto
Et magis inſanus toruo Athamante forem.
Num tibi ſunt ſilices, num duri lamaq; ferri?
Num tua num gelidum pectora marmor habent?
Vt non te tangant tam raræ virginis ora,
Ora niue atq; indo candidiora ebore.
Si ſic reſplendet peream præteria Paula,
Paula Mycænæa plus adamanda nuru.
Vrbs quã Miſcelli indulſit præclara videndam,
Vrbs nimium attiguo nobilitata mari.
Tam viuum fulget peream ſi Argentea Iani
Coniux, quæ ligures ſæpe recenſet auos.
Tam placidum fulget peream ſi Aurelia, & illa
Deceſſit functo quæ taciturna viro.
Tam lepidum fulget peream, ſi Aruinia, noſtris
Vna eſt temporibus quæ muliebre decus.
Felix quippe potes fortunatuſq; vocari,
Ad ſua ſi tandem tecta Ariadna vocat.
Infelix potes infortunatuſq; vocari,
Ad ſua ſi nunq̃ gaudia & illa vocat.

Ad Paulum baſamum.

Vergilij ſortes ethruſcaq; conſulis exta,
An caſta atq; decens nupta futura tibi eſt?
Laidas eſſe omnes hac tempeſtate puellas,
Et rara eſt Lais fata petita ferunt.
Exilio potius vitam damnabis acerbam,
Semper inhumanis iunctus amice feris.
Præſtat continuis animam laſſare periclis,
Victa maritali q̃ dare colla iugo.

Vidi mille viros felices cętera, męſtos
  Polluti ſola ſed modo parte tori.
Si pulchra euenięt miſerum torquebit, vbiq;
  Aſpera conficiet curaq; Zelotypum.
Nec ſat cuſtodes adhibere, & abenea vincla
  Addere, cuſtodes ſunt noua cauſa mali.
Sæpius & dominæ Aethiopem miſcere repertum eſt,
  Exemplum ſerui ſuſcipe ſtigmatici.
Si tibi continget deformis, plena doloris,
  Expers lętitię vitaq; agenda tibi eſt.
Si fuerit dotata, ſuperbiet, inatat & ſi
  Nobilis in tota pręlia ſæua domo.
Si natos pariet mentem q; animumq; perennis
  Anxietas anget, perpetuuſq; labor.
Hinc ægrum mores ſtimulabunt, ſeraq; vita
  Sit certum tandem qua ſibi lege mori.
Si occiderint, nil patre eſt infelicius orbo,
  Nec ſua quod tantum vulnera triſte fleat.
Si ſterilis coniux, ingratus habebere genti,
  Pignora & inuidiam grandem aliena dabunt.
De te rumor erit ꝙ telo armatus iniquo
  A parte vxorem poſteriore petas.
Scis ꝙ naſuti iuuenes ſint, atq; dicaces
  Quàm pueri momo ꝙ ſtudeantq; ſenes.
Et quis vanorum temeraria dicta coherceat?
  Vrbana eſt teſtis cui modo villa placet.
Teſtis itemq; alter de quo vaga fama ſiniſtra eſt,
  Quod venter nunꝙ coniugis intumuit.
Et male ſæpe audit doctor tuus, audit & ille,
  Quem bona ditauit dextra paleſq;, ceres.

Quod ſemel emiſit fętus, optatq; ſecunda
Quāuis fęcunda eſt fœmina dona vteri.
Ergo tibi in thalamo viuendum eſt Cęlibe ſemper,
Ni damnum mauis ſuſtinuiſſe graue.

Ad Ianum petrum Maium
Iudicem.

O Qui nobilium metiris iura virorum,
Interpres legis candide Maie Sacrę.
Quis non infreno diſſolueret ora cachinno,
Marmoreo tetricus ſit licet ingenio?
Sit cui carduum edens riſus excuſſit aſellus,
Atq; Heraclitus qui lacbrymare Sophus.
Antiqua quum tot de nobilitate gerentes
Pręlia patricios conſpiciatq; nouos.
Hic vult cenſeri de ſanguine Troiugenarum,
Et mane & findit ſole cadente ſolum.
Hic genus a pulſo iactat duxiſſe ſuperbo,
Et ptolemeços perſtrepit alter auos.
Et tamen aſſiduo laxant ſua membra ligone,
Et iungunt domitos diſſociantq; boues.
Turpe quidem indignum eſt, & quod traducere poſſet
Prateritis ſtudijs æmula poſteritas.
Audent nonnulli Hiſpano contendere Regi,
Præſtare Inſubrem & ſtemmate poſſe ducem.
Et (bene nota loquor) vetita vixere rapina,
Et vili fraudes proditione parant.
Non mihi qui prauum ſectatur, nobilis eſto,
Nec qui degeneri terga dedere metu.

Nobilis ille mihi, qui moribus albus honeſtis
Eſt ſat honoratum commeruiſſe decus.
Nobilis ille mihi, qui Martis ſtrenuus armis,
In patrio poſuit ſigna inimica tholo.
Nobilis ille mihi, qui phœbi atq; arte Mineruę
Quæ deceant liquidum, dedeceantq;, videt.
Hos tu laude feras ingenti, ſpernito & illos.
Virtus vna hominem nobilitare ſat eſt.

Symbolum Sanctæ fidei Chriſtianæ.

VNum affirmo Deum, dominumq; hominumq; parentē,
Qui fecit natu cuncta regitq; ſuo:
Et natum parili moderantem numine mundum,
Spiritum & ętheruum qui pia corda fouet.
Natum inquā Sanctæ conceptum Virginis aluo
Afflatu magni progenitumq; patris.
Affectus quem degeneri formidine Iudex
Iniuſtus capitis dixerat eſſe reum.
Atq; ita ſublimi fixit ſua Corpora ligno,
Deforme, horrendum, luctificumq; nefas.
Mortem obijt, terræq; datur, ſtygioſq; receſſus
Luſtrat, Tartareas expoliatq; domos.
Et viuus nullis redijt violabilis armis,
Aſcenditq; polos cum patre regna tenens.
Et quum ſumma dies ſupremaq; venerit hora,
Fas noſcet, cęlſa & crimina nube ſedens.
Ad tenebras ibunt pallentia Regnaq; ſontes,
Hic vbi pœnam vltrix Thyſiphonea nouat.
At qui vitali coluerunt lumine rectum,
Et virtute Deo iam placuere pia.

Scandent felices mundi ardua, & aurea olympi
Verbigenę indigna tecta adaperta nece.
Et quicquid tandem Romana eccleſia credit
Credo, confiteor voce alacriq; libens.

Ad Quendam.

Q Vòd non es doctus nec charis, fidus amicis
Nobilis & totus deniq; vulgus ait.
Quòd nihil intus habes, & nil in pectore condis,
Quòd merus es ſciolus, & merus ardelio.
Quòd quædam in labijs dicteria, ludicra quædam
Facundum faciunt, & nihil intus habes.
Inceſſuntq;, olim quia te ſermone ſoluto
Necnon ornarim munere pegaſidum.
Quid facerem? cupio laudem famamq; tueri,
Eſt opus eloquio ſed meliore mihi.
Tu tibi ſis præſto potius, vel Anyſius eſto
Fautor, vel Diuum Martyrianus amor.
Quin magis hic Calabros Heros & Crathidis vrbem
Quàm te defendet parthenopenq; tuam.
Es ſuper hanc alacri tu animo tu ſuſcipe cauſam
Qui fles cęcorum ſortem epicure trium.

Confitetur Sacerdoti.

S I ſtrinxi gladium in ſuperos ceu perfidus hoſtis,
Nunc eſt in Chriſtum menſq; animuſq; meum.
Sit ſat, ſi me tanga recens piat impia facta,
Mœſtus & aſſidua pectora tundo manu.
Pœnitet en auſis animos impleſſe ſuperbis,
Et faſtu tenues poſthabuiſſe viros.

Pœnitet inuidia æquales carpſiſſe ſodales,
Et bili toties intumuiſſe graui.
Pœnitet atq́; epulis quæſitis, & dape lecta
Vixiſſe, exiguos non & amaſſe cibos.
Pœnitet externos maculaſſe libidine lectos,
Ocia & amplexum ſegnia deſidię.
Plus & opes æquo vanę ludibria ſortis
Optaſſe, atq́; auida argento inhiaſſe fame.
Incuſtoditis laxas donaſſeq́ habenas
Senſibus, & nullo continuiſſe modo.
Si quicq́ pulchrum atq́ decens vidiſſe recordor,
Quod delectauit mentem oculoſq́;, piget.
Si quicq́ audaciq́; manu tetigiſſe & odora
Nare bonum, & placidas hic poſuiſſe moras.
Et ſi dulce aliquid patulo libauimus ore,
Quod iuuit blando detinuitq́ dolo.
Et quicquid toto illiciti commiſimus æuo,
Vel cuius memores immemoreſq́ ſumus.
Nunc igitur pater alme Deo qui ſacra miniſtras,
Atq́ adhibes vigili maſcula thura foco
Sanato veteris culpę contagia diuum
Affatu, & ſacra dilue crimen aqua.
Solue arctos nexus, quis Dæmon peſtifer ambit,
Tangit virtutum pectora tangit amor.
Ecce genu ante pedes affuſus vtrūq́ nocentem,
Me fateor, noxę tu modo da veniam.
Da veniam noxę, tibi rerum Iuppiter auctor
Soluendi Orco animas grandia iura dedit.
Suffice viuam eſcam, viuum ętherumq́; liquorem,
In quo Chriſtus ineſt verbum hominemq́; gerens.

Hæc poterunt alimenta animam ſaturare perenni
Lętitia, & magno conciliare patri.

Ad Antonium Theganum legum doctorem.

DEbeo non modicum tibi ꝙ cunabula legum
Declaraſti olim, faſq; nefaſq; docens.
Debeo ꝙ patriam exornas virtutibus vrbem,
Quod nullo macules candida corda dolo.
Debeo ꝙ præſto fueris mihi ſæpe vadato,
Idem ſponte tua ſæpeq; ſponſor eras.
Hinc te perpetuo complectar plurimum amorę
Eſt quo gentilem Theſea pirithous.
Siue philocteten quo Alcmenę filius acer,
Charum pelides ſiue Menęciaden.
Ni fallor, fors poſterior venerabitur ætas,
Tāq; pia atq; rata nos ſociaſſe fide.
Par erimuſq; recens olim rarumq; fidelis
Quippe ſodalitij, par & amicitię.
Rumpatur quiſquis liuore accenſus amaro eſt,
Aemula rumpatur turbaq;, & oſor iners.
Antonine chely merito laudande latina,
Lętatur tanto fędere quiſquis amat.
En tibi dextrę adſum pro viribus omnibus horis,
Atq; animi toto robore, & ingenij.
En tibi quicquid adeſt rerum Antonine mearum.
Quicquid & inconſtanſ & vaga diua dedit.
Et quod præcipuum non parui eſt pignus amoris,
Diuitijs melius diuitijſq; prius.

In meo honoratus multuſq; legere libello,
Dum ſibi pegaſides vitam animamq; dabunt.

Ad Ianum Coſtum Legum Doctorem.

Q*Vid tantum vxorem functam chariſſime Iane*
Suſpiras? longos collachrymaſq; dies?
Omnia ſcire potes moritura aliquando, videmus
Aſtra mori, nitidum Cynthium & ocadere.
Quot ſteterant vrbes quarum vix nomina reſtant,
Nunc vbi Carthago, & pergama dardanidum?
Dic vbi Alexandri pandoſia cęde cruenta?
Vix priſcæ Romæ dimidiumq; hodie eſt.
Vſq; adeo vaſtis eſt deſolata ruinis
Roma, triumphati quæ domina orbis erat.
Clara abauis fuerat coniux tua vtrinq; ſuperbis,
Seruauit thalamis vſq; fidemq; tuis.
Digna quidem longo tecum quæ viueret ęuo,
Digna pari fato ſerum obiiſſe diem.
Sed quia ſic fatis viſum, non flere decebit
Poſt obitum quando multi abiere dies.
Nec genus effętum q; ſit muliebre putandum,
Eſt quæ te votis optat habere virum.
Facti auri mulier ditiſſima, pulchra, & honeſta,
Ortaq; nobilibus ceu fuit illa, viris.

In deuotorem numinum.

D*Ementi ſuperos quid voce prophane laceſſis,*
Et cupis excelſo nectere vincla Ioui.

Quiſquis Cęlicolum temerator funeres triſti
Occubat, & Colubris Thiſiphonea ferit.
En ferus vt rapidos Capaneus Iouis hauſerat ignes?
Fluctibus inq; Aiax naufragus interijt?
Contemptorq; deum fato Mezentius acri
Concidit, vndanti & ſanguine fędat humum.
Mors & Aloidæ geminos eſt ſæua ſecuta,
Auſos ſublimi bella parare polo.
Si te iuſta ira atq; dolor turbauerit vnq;,
Quid iuuat immeritos conſcelerare deos?
Magna quidem eſt virtus duris compeſcere frenis
Affectus, motum & compoſuiſſe animi.
Ne quid fœmineum cupias, præcepſq; loquare,
Ne timidum & ſtultum quid faciaſq; leue.

Ad Marcum antonium magnum.

O Quas Magne faces torquet pharetratus, & o quæ
Tela venenato tincta liquore puer?
O quas crudelis genitrix Amathuntia curas
Nocte ferit? placidos nec ſinit eſſe dies.
Confugio ad Phœbum ſupplex, caſtamq; Mineruam,
Mi miſero præſens auxiliumq; peto.
Sed neq; Pallas adeſt atq; imploratus Apollo,
Virginum & Aonidum nec mihi turbida fauet.
Quid faciam infęlix, ſi numina culta tot annis
Surdam aurem in noſtras conſtat habere preces?
Vtilius Nemeſim colerem, volucremq; Nepotem
Athlantis, vel cui Thracia ſacra facit.
Principibus ne hęſiſſe viris, aulaſq; potentum
Ambiſſe, & certa ſemper amaſſe fide.

Nunc neq; ſolantur morbos, animiq; dolores,
Atq; his rerum egeo dum pia ſacra paro.
Tu modo tu noſtris doctiſſime conſule curis,
Quem ſcio Socraticum perdidiciſſe Sophos.
Tu bone Magne ſoles qui nunq̃ deeſſe petenti
Conſule, quo ingenio tutior eſſe queam.
Nā p deos ſtatui ingratos arceſſere dicam
Scribere, & ante Iouis flebilis acta queri.
Non adeo muſſare decet, patiatur honeſtas
Vt labem, pacis feraq; damna feram.
Sic Mgnum hibernis pubeſcat floribus, atq;
Vel Bruma fetus ſuggeſſerat arboreos.

Ad Chriſtum dominum.

CHriſte parens hominumq; ſator nos reſpice, tot p
Peccatis veniam criminibuſq; dato.
Ne perdas nos ſacra piæ perq; hubera matris,
Perq; Crucem & Clauos & Diadema rogo.

Ad Alouiſium piccolum.

NE pigeat, ſi nullos infecunda Salerna
Nupta expectatos dat tibi filiolos.
Sæpe etenim præſtat nunq̃ genuiſſe parenti,
Et ſterili vitam degere Coniugio.
Quot patribus nati ſunt maxima cauſa doloris?
Quot patribus nati perniciemq; parant?
Heu ætas ſolet iſta malos producere, virtus
Nuſq̃ eſt, quæ valeat corda beare patrum.
Si infecunda Hecube non Troia euerſa fuiſſet,
Europæ atq; Aſiæ nec cecidiſſet honos.

Si ędipodę coniux, Thebarum regia forſan
Staret adhuc, Cytharę & mœnia ſtructa ſono.
Immane inſuetum facinus, pro paupere Regno
Strauiſſet fratres pugna nec vna duos.
Dices, non habeo Hęredem. felicius aio
Piccole crede mihi quærere ſæpe fuit.
Eſſe poteſt nobis Chriſto non iuſtior hęres,
Qui dedit vtilium quicquid habemus opum.
Eſſe poteſt nobis Chriſto non gratior hæres,
Poſt obitum reddit qui decuplo decies.
Tum Chriſtum inſtituis, pupilli pane frequenti
Corpora qum reficis, veſte hyememq́ fugas.
Tunc Chriſtum inſtituis, ſine ſpe ſine dote puellas
Qum ſancto iungis piccole connubio.
Tunc Chriſtum inſtituis, qum ſacras erigis ędes.
Fęcundumq́ ſuper largius addis agrum.
Tunc Chriſtum inſtituis, qum Chriſti ex hoſtibus auro
Captiuos redimis, reſtituiſq́ domum.
Tunc Chriſtum inſtituis tandem, qum tota ſupellex
Hoſpitibus miſeris, pauperibuſq́ datur.
Ergo qum tantum hęredem tibi fata dederunt,
Exoptare alios deſine filiolos.

Ad Diuum Nicolaum patronum.

Diue mihi ante alios ſemper venerate, fer oro
Dexter opem, & vaſto me tueare mari.
En dubia Adriacos molitur ſcindere fluctus
In Venetos puppis lintea tenſa ferens.
Tu mihi qui rebus miſeris diſcrimine & omni
Fauiſti, hoc tanto nocte dieq́ faue.

Per Nicolae alacrem pinum ſpirantibus auſtris,
In toto felix æquore & alme rege.
Non vt diuitias hæc tanta pericula tento,
Accumulem, & pulchro munere lęter opum.
Non varios mores longinquas noſcere & vrbes,
Tantum vera auidum philoſophia mouet.
Náq; illic habitas geminſ ſapientia iuris,
Mopſopia deſerta vrbeq; Romulea.
Præterreo doctas quæ mi nocuere, ſorores,
Auſonias ſeu vis, ſeu mage Cecropias.
Diue patrone meoſ neu dedignare paratus,
Náq; tuis aris tura merumq; dabo.

Ad Marcum antonium mannarinum
legum doctorem.

QVot quot habet Bari conſultos Curia Marce
Antoni ingenio vincis, & eloquio.
Ipſe fui præſens, audiui, atq; omnia vidi,
Vidi, certum oculus debet habere fidem.

Ad Franciſcum paladinum.
phariſienſem.

DE tot patricijs quos Illyris ora creauit
Vnus tu melior, ſplendidiorq; mihi es.
Moribus & longe Franciſce ornatior ęquis,
Idem diuitijs huberiorq; bonis.
Illyricas celebris tollit te fama per vrbes,
Approbat ingenium Dalmata vbiq; tuum.

Hæc loquor expertus, non viſum amplecteris ante,
Commendas nato conciliaſq; pio.
Qui nunc legum academiam patrui moderatur,
Auſpice commeritus pallade grande decus.
Ipſe igitur tali pro te pietate adamabo
Perpetuum. tu mi gentium vbiq; iube.

Ad Hectorem Contarenum
Patricium Venetum.

Magnificis generate viris duce monſtra Leone
Omnia mactabis qua mare, terra patet.
Vatem audi, ingentes te Contarene triumphi
Expectant fauſto ſidere carpe viam.

Ad Diuum Nicolaum patronum.

O Qui dotaſti innuptas Venerande puellas
Non poterat pauper quas Nicolae pater.
Non aurum argentumq; cliens ego poſtulo ſupplex,
Quæ ſpreuit ſanctus quilibet, atq; bonus.
Sed quando in duro Terra ue Mari ue labore
Laſſus ero, dextri numinis auxilium.
Meq́; patri æthereo, & Mariæ, atq; quiritibus almis
Concilia, in rutilum porta animamq; chorum.

De Venetiarum Ariſtocratia.

NVllæ tantum vrbes toto lætantur in orbe,
Quantum quæ Venetis ſubijciuntur heris.
Pannoniæ eſt iuſtus, necnon Rex Galliæ, vterq;
At nequit in populos pace tenere ſuos.

Senſit Roma ſuas ſenſit Rex ſarmata clades,
Turca premi cępit, Maurus itemq́ ferus.
Soli Patricij Veneti diuo auſpice Marco
Bellonę & Martis non timuere minas.

De eadem.

CVm Venetis mundum diuiſit Iuppiter, at non
Ex ęquo, tantum prima elementa tenens.
Alta Iouis Summo dominantur numina Cœlo,
Principibus ſeruit Terra, Salum Venetis.

Ad Lazarum bonum amicum.

NOn ſic in Verrem Cicero vehementius, vt tu
Illius in Verrem fulmina, tela feris.
Das ſcriptis animam Ciceronis Lazare, vt vlla
Fur nequeat medica pellere vulnus ope.
Mille auctor mendis corruptus, at ipſe nitorem
Reſtituis, longe barbariemq́ fugas.
Multum Arpinatis debent tibi Lazare manes,
Manibus a cęcis qui aſſeruiſſe potes.
Audio parte alia gratum Demoſthena, gratum,
Quod ſua in Aeſchinen tam bene ſenſa legis
Dignus, qui geminę felici dogmate linguę
Tam raros valeas demeruiſſe viros.

Ad Ianum Therapum Sacræ
Theologiæ doctorem.

DIc mihi naturæ atq́ rei venator opertę
Per chari manes ingeniumq́ ſophi.

Dic dic Iane precor, pia ſic atq; optima mater,
Frater & euboicę ſæcula vatis agant.
Luditur ad Talos, vni victoria lęta
Semper adeſt, alij ſubſiliuntq; Canes.
An fatum, an Cęlum, an Talos fortuna gubernat,
An Deus, an Dęmon, qum ars nihil ipſa valet.

Ad Franciſcum galuagnam patriaum Mantuanum.

MAgnorum Columen decus & tutela quiritum,
Et patauini ingens gloria gymnaſij.
Franciſce heroum ſtirps inclyta, curaq; diuum,
Tuſcorum terras qui ligurumq; colunt.
Quod mea curaſti Franciſce negocia, multum
Debeo, iure parem polliceorq; vicem.
Sum tibi perpetuo vinctus, gratuſq; ſubibo
Vt te ſortem omnem demeruiſſe queam.
Tu addictum propria foueas bonitate, frequenter
Vtq; ſoles ſtudio me tueare pio.
Sic te ſemper amet Dux Illuſtriſſimus Vrbis,
Vrbis Vergilium quæ genuiſſe tumet.
Sic placidus Venetum Princeps, Sanctuſq; Senatus
Arbitrio tradant Cypridis arua tuo.

Ad Amicum.

IN Ciceronis auos audes diffundere virus,
O quem Pomponi pagina ſacra iuuat.
Si neſcis, generis dederat primordia Tullus,
Qui Rex Romanę maximus vrbis erat.

Nec ſat maiores maledictis carpere amaris,
Quin iacis in proprium tela faceſq; caput.
Non bene amice facis, linguæ mihi crede latinę eſt
Magnum Aſſertorem commaculare, nefas.
Tanta viri laus, vt nullis decreſcere probris,
Et nulla tandem creſcere laude queat.
En ſtudioſus adeſt cauſæ defenſor alumnus
Quiq; ipſum, veteres quiq; tuetur auos.
Hic eſt, Eridanus debetq; fluentia, cuiq;
Sfortiadum tellus, omnis & Emilia.

Ad Fabium accurābonum
legum doctorem.

O Decus Italicę doctor clariſſime gentis,
Perpetuum Salue, perpetuumq; Vale.
Quo duce ſoluuntur nodoſi ęnigmata iuris
Cæſaris inuicti, Pontificiſq; Sacri.
Quo duce q̄primum fiet Patauina iuuenta
Docta, æqui ſeriem diſpicietq; nefas.
O Patre ſublimi digniſſime, Roma magiſtro
Quem mage pergameo gens Venetumq; colit.
Per caput inſignis nomenq; illuſtre parentis
Te rogo, qua potis es, qua licet atq; faue.

Ad Proſperum publicolam
Romanum.

AVctor Romanę Mars gentis Proſperum in armis
Vtilem & inuictum magnificumq; tulit.

O

Atq; ita ſublimem voluit fundare columnam
Altius, & decori conſuluiſſe domus.
At Iouis ętherei Pallas ſata vertice, facti
Aemula Proſperum auet progenuiſſe nouum.
Teq; tulit terræ decus immortale latinæ
Ingenuas artes & bene ſcire dedit.
Suffeatq; animo vires, placidamq; quietem,
Romanum vt vere palladiumq; feras.
Tanto ergo es maior magno cognomine, quanto
Eſt maius magnum viribus ingenium.

Ad Octauianum Tremetum Iuriſconſultum Lupienſem.

COmplecti ingenij ſollertis acumine quantum
Et quantum studij ſedulitate poteſt
Ingenio tantum vegeto, ſtudioq; ſagaci
Complexus, Diuum dum ſacra iura legis.
Quis non mitem animum laudet, manſuetoq; cordas
Et quis non mores laudet, ametq; pios?
Vrbs videt euganeo quæ dicitur amne, opulenta
Atq; vrbs adriaco ſcit bene iacta mari.
Quantum conſilio valeas, q; pacis ad arma
Aptus es, & placidæ magnus honore toges.
Vnde academiæ patauinæ traditæ habenę,
Vnde tibi partum nomen, honoſq; fuit.
Hic tua quis neſcit? bona munificentia cunctis
Profuit vſq; inopi, diuitibuſq; ſimul.
Hinc te Magnificum appellant iuueneſq;, ſeneſq;,
Magnificum externus, Ciuis itemq; vocat.

Hæc ſeros tangent Cognomina digna nepotes,
His tua poſteritas laudibus ibit ouans.
Non tanta octaui qum magni Octauius orbis
Pax regeret clauum iuſtitia atq; fuit.
Non vllę exortę lites, non iurgia qum tu
Gymnaſij octaui candide rector eras
Hinc tibi qui noſtris Auguſtus præſidet oris
(Spem foueo) Cęſar nobiliora dabit.
Hinc natale ſolum, laudataq; Iapygis arua,
Hinc te Sebethus pauſilypuſq; manent.
Carpe viam, atq; vale Venetum iam dicito terris,
Sat facere & lupijs parthenopæq; para.

Ad Amorem pro Alexandro maio
Lupienſi Iuriſconſulto.

QVid crudelis Amor Sodum tam lędis & angis?
Nec dulces ſomnos carpere nocte ſinis?
Si tibi ſacra facit, ſi largo munera ſumptu
Præbet, & ante tuos fletq; gemitq; pedes.
Parce deis Herebi cęliq; potentior alme
Parce puer ſocium ſic ſtimulare meum.
Nam pius eſt iuuenis, necnon doctiſſimus, idem
Et multa celeber nobilitate viget.
Heu nequit heu legum de more reuoluere libros,
Vſq; adeo diuę cura moleſta premit.
Incipe inhumanę pectus mollire puellę,
Propoſiti dominam pœniteatq; ſui.
Et ſi liber erit ſocius, ſanuſq; requieſcet,
Millia non feſſa carmina voce canam.

Ad Alexandrum maium lupienſem
Iuriſconſultum.

PVlcher Alexander dum Helenes conſumitur igni,
Non auro, obſequio, ſed precibuſq; capit.
Tu ſed Alexander capies non fletibus vllis
Duram Helenen, aurum diuitiaſq; cupit.
Heu heu crede mihi ſunt multum hęc tempora auara,
Ni des dona, labor irritus omnis erit.

Ad Diuum Nicolaum patronum.

INcolumem alme pater qui duxti per mare vaſtum,
Te duce & horribiles non nocuere Noti.
Nam ni Diue tuum numen fauiſſet amicum,
Adriacis eſſem contumulatus aquis.
Sufficæ Alexandro auxilium, ſi te mouet vllus
Noſtri amor, & placeo Religione tibi.
Nam ſocius meus ille, meus quoq; fidus amicus
Vis maius dicam? compater ille meus.
Hunc amo Pirithoum vt Theſeus gentilis amabat,
Vt fratrem frater, pignora amatq; pater.
En parat in patriam acceſſum per cęrula, & vndas,
Credet, & inſtabili vitam animamq; rati.
Et Salentinæ Comes, it Lucretius vrbis
Laus, ornamentum, perſpicuumq; decus.
Qui citra labem virtutis cultor honeſtæ eſt,
Ducit & a magna nobilitate genus.
Et ſecum eſt iuuenis ciuili Octauius olim
Aequus qui iuri mitia iura dabat.

Tris animas Sophia æquales virtutibus, æuo
In lupias reduces incolumesq́; feras.
Et tibi multa ferent & nos tibi dona feremus,
Annue per domini vulnera dura rogo.

Tumulus Simplicij Carminati.

NOmine Simplicius dicor, Cognomine auitę
Gentis Carminatus, Bergomon eſt patria.
Legibus incubui patauí, Venetoq; Secundus
Flamen eram templo, nunc iaceo hoc tumulo.

In Alex. quendam.

MAgnus Alexander non grandi corpore bello,
At tu non grandi corpore pene vales
Pene vales, pueros dum diuidis omnibus horis,
Et parte infames poſteriore lupas.
Illum Threicij iuuerunt numinis arma,
At te Lampſacidæ turpiter arma iuuant.

Ad Diuum Antonium Patauinum.

DIue Antenoreę ſpes o fidiſſima gentis,
Tutela & ſubitis confugiumq; malis.
Nemo tuam ſuſpirat opem, quin protinus adſis
Et terra & tumidis ſemper amicus aquis.
Hinc reduces ornant varijs altaria donis,
Suſpenſa inq; tuo multa tabella tholo eſt.
Ne pigeat precibus mites largirier aures,
Ne pigeat votis diue fauere meis.
Ecce dies nocteſq; queror, ſuſpiria & imo
Pectore do, largas ſæpeq; do lachrymas.

Non queo ceu ſolitus ſtudio verſare ſogace
Iura, nec in media diſcere nocte ſophos.
Nam nunc vaticinor patriæ contraria mille
Auguror & noſtræ triſtia cuncta domus.
Cur Agamemno pius genitor mihi ſcribere ceſſat?
Nec priuata ſuo & publica more docet?
Iam nouies phœbe eſt fratri coniuncta, nec vllas
Litterulas miſit ſancta mihi genitrix.
Quæ ſpoletinis magnus primoribus extat
Atque Caſopereę nobilitatis honos.
Et cur exemplar vitę Nicolaus honeſtę,
Incępit fratris dememiniſſe ſui?
Cur Petrus ethruſcos numeros Rhythmoſque decentes
Non ludit, placidos inſerit atque ſales?
Quis animum mentemque ęgram turbataque corda
Leniret, quæ non plectra leuare queunt.
Cur neque me oblectat lepidis Pomponius orſis?
Cur me Donatus Ianus amat nihilum?
Ante alios Ianus fratres mihi ſemper amatus,
Ianus compoſito mitior ingenio.
Hos amo plusquam oculos, & plusquam munera vitę,
O ſi poſt mea ſint vltima fata ſuper.
Et cur non mittit pictas Aurelia telas
Ingenioſa ſuæ munera rara manus?
Paruula cur dicit nullas Iacoba ſalutes
Blanda ſoror, nullis exhilaratque iocis?
Me miſerum impediunt quæ tanta negocia quæ nam
Eſt genitor longę fare age cauſa moræ?
Num te parthenopen ciues fortaſſe moleſti
Miſerunt? charæ conſulis & patriæ?

Non nimijs onerat princeps conatibus, atq;
Vix ſat es ingenti ſufficere imperio?
Tu diue immenſo acceptus gratuſq; tonanti,
Qui potes humanis plurimum in ingenijs.
Nam rectum iuſtumq; ſoles ſuadere, moneto
Vt nati incipiat iam meminiſſe ſui.
Suppetit en nobis ſat parua pecunia, Appella
Lazarus & noſtram quærit habere togam.
Nec ſat Alexandros iniuſto fęnori habere,
Sperat plura malus, Par. li auetq; opera.
Quinetiam Codex ambitur Cęſaris, opto
Ante ruat triſido Lazarus igni olidus.
Nec tantum pereat recutitus Lazarus, omne
Semen at infandum Sabbata feſta colens.

Ad Marianum Sozinum iuniorem
Præceptorem ſuum.

Qvm Calabris agerem doctor rariſſime terris
Doctrinæ fuerant nomina tanta tuæ.
Vt blandę illecebras patriæ, dulceſq; receſſus
Poſthabui, expertos parthenopeſq; viros.
Aequoris obięctans animam Sozine periclis
Turpibus, exiguę nauita puppis eram.
Non ego ſum Adriaci commotus murmure ponti.
Et non inſani turbinibus Borę.
Ardor tantus erat faciem venerarier almam,
Paulatimq; ſacrum perdidiciſſe ſophos.
Hic vbi ſum certe inuenio meliora relatis,
Et ſtupeo ingenij munera rara tui.

Quis non laudaret profitentem iura cathedræ?
Mirantur iuuenes doct:loquiq; ſenes.
Quandoquidem nil tam ſanciuit Cæſar opertum,
Vt non ſit nobis qum legis ipſe, palam.
O quæ Nectareo fundis condita liquore
Dogmata? quæ dulci dognata & Ambroſia?
Quis non laudaret qum ſucco plenus ameno
Diſcipulum placido pectora melle iuuas?
Non vnq̃ peperit ſatiem tua lectio, in horas
Doctior appares, gratior inq; dies.
Fortunata domus tales producere fetus
Quæ fauſto ſuperum numine ſæpe ſolet.
Nimirum felix nimium ſozina propago es
Ante alias, veteres ſi memorabis auos.
Si vel honoratos malis ſpectare nepotes,
Reſpice Alexandrum pluſq; tumebis ouans.
Hic natus Mariane tuus, qui iura recludit
Cæſarea & ſacrorum abdita Pontificum.
Es tanto dignus (lętetur Thuſcia) nato,
Eſt etiam tanto dignus & ille patre.
Hunc tibi ad extremam ſeruent pia fata ſenectam,
Legum vtatur quo interprete poſteritas.
Sitq; tibi vt digne eſt meritus ſocine ſuperſtes,
Hæres virtutis (ceu fuit ante) tuæ.

Ad Paulum a montealto Scyllac. Sacræ
Theologiæ doctorem.

PAule decus patriæ, atq; bonæ ſpes vna Sororis,
Abſentem quæ te nocte dieq; vocat.

O q̃ mœſtus ero euganeis vbi liqueris oris
Me ſolum, patriæ littora amœna petens.
Cui credam ſecreta animi, cordiſq; receſſus?
Quis mihi tam fidus poſtmodo amicus erit?
Tu ſemper noſtri terra pelagoq; memento,
Adq; meas veniat littera crebra manus.
Hæc mandata precor noſtro ſeruabis amore,
Sic deſiderio ſat facieſq; meo.
Principio charo nos commendare parenti
Officij ſi te cura habet vlla, velis.
Et multam dices germanis paule ſalutem,
Hi ſunt deliciæ diuitiæq; meæ.
Et figes manibus Theſeo nomine ſacris
Oſcula dilecti terq; quaterq; viri,
Qui me tot meritis ornauit, millibus atq;
Muneribus, plusq̃ forſitan ipſe pater.
Hic eſt ſi neſcis, venerandus auunculus, extat
Qui ſpoletinæ gloria prima domus.
Præcipue at dominæ me commendabis honeſtæ,
Quæ ſecum noſtri pectoris ima tenet.
Dic ex quo illuſtri priuatus imagine, vitam
Mœſtus ago, nullis illecebriſq; iuuor.
Vſq; adeo totis dominatur ſenſibus alma
Faſtia, & aſſiduis ignibus vrit amor.
Parte alia eſt noſtri ſolamen grande laboris,
Inceptis calcar præcipuumq; nouis.
Hanc plusq̃ geminos iubeo ſaluere parentes,
Et plusq̃ patriæ viſcera cara piæ.

Ad Ianum Marium Tirabuſcum.

INter curarum fluctus ſtudijq́; labores.
Præcipuum es nobis confugium, atq; quies
Aſpera cuncta animo pellis, qum dulcia tecum
Verba ſero, placidas protrahimusq; moras.
Nil niſi de Phœbo, doctiſq; ſororibus audes
Virgine docte mari Mopſopiaq; loqui.
Et merito a puero blandita eſt Pallas, amauit
Cynthius, aonidum & myſtica ſacra patent.
Sed nos in cunctis te Tirabuſce minores
Vſq; ſumus, ſophię cedimus atq; tuæ.
Et veluti humano degens in pectore numen
Æthereum veneror, ſedulus atq; colo.
Admiror, laudoq́;, Sophos qum pandis opertum,
Et vatum exponis dogmata, & Aſtronomum.
Tu me docte Mari neu dedigneris amare
Per Tulli manes Vergilijq́; rogo.
Perq́; tui ſtudij fructus, blandumq́; leuamen
Triſtitię plectrum, dulciſonamq́; fidem.
Nam prodeſſe pijs latię docuere Camęnę,
Et te nocte die graia Minerua docet.

Ad Ianum Marium
Tirabuſcum.

QVæ modo miſiſti curas pepulere moleſtas
Carmina, grata adeo dulciaq́; illa mihi.
Carmina quæ Andęi poſſunt contendere vatis
(Nil maius poſſum dicere) carminibus.

Carmina vel momo nullis obnoxia probris,
Iudicœ, vel criticis carmina iudicibus.
Quod facias tanti, & cumulatis laudibus ornes,
Pulchra monet virtus, quæ tua corda fouet.
Hæc laudare omnes necnon defendere ſuadet,
Hoc proprium docti, nobilis atq; viri eſt.

Ad Hippolytum Fantotium Theologum atq; Poetam.

GRittiadę eſt magnum laudes cantare diſertæ
Hippolyte, at maius ſcribere virgigenam.
Ter par eſt Chriſtum numeris celebrare, Sacerdos
Cuius es, acta hominum deſpice, pange deum.

Ad Franciſcum Maronem Cyprium.

QVòd patriæ electus præſul ſis gaudeo terræ,
Ceu frater fratris proſperitate ſui.
Iure equidem meritoq; tibi tam celſa parantur
Culmina, iure paphos ſub ditione venit.
Iure equidem commiſſa hominum tibi cura ſalutis,
Nanq; Dei propius numina mente vides.
Hæc tibi dant Sancti mores Franciſce, pijq;
Chriſti verus amor, candida datq; fides.
Hæc tibi dant latię quas excolis vſq; Camęnę,
Quæq; alit atq; fouet philoſophia parens.
Hæc tibi Ariſtotelis ſenſa inſpexiſſe, tenebras
Et Scoti nitido lumine adiſſe tui.

Sis felix, placiduſq; rogo complectere amicum,
O Franciſcanę Relligionis honor.

Ad Ianum Marium Tirabuſcum.

TAntum animi Fauſtina mei penetralia mouit,
Monſtraſti nuper quam mihi docte Mari.
Vt nos impellat prece poſcere, tu modo amicæ
Munifica munus candide trade manu.
Nanq; duæ parili forma, parili q; decore
Sunt, deſiderio ſufficit vna tuo.
Gratius id nobis q̃ perſica gaza, vel aurum
Riui alti, & procerum diuitiæ Venetum.
Et ſi forte animum quod nos tibi flectat, habemus,
Allectetq; oculos, ſuſcipe continuo.

Ad Ianum Antonium rubeum Alexandrinum Preceptorem ſuum.

IVra tibi tantum debent Ciuilia quantum
Nyctileo vites, Triptolemoq; ſeges.
Nam quid prodeſſent ſancita a Cęſare, ſi tam
Cęca, parum nobis cognita & illa forent?
Tu latiæ fulmen Cathedrę, ſenſa abdita Pauli
Inſpicis, illuſtri claraq; voce facis.
Per te Marcello concordat Scęuola, per te
Ambiguum nihil eſt, difficile atq; nihil.
O Salue Antoni ſtudioſę Iane iuuentę
Vtilis ingenio, atq; vtilis eloquio.

In Quendam.

DIc mihi dic quæſo Nebulo teterrime, vilis
Vnde tibi tantus proditionis amor?
Dic mihi quid proſunt falſæ mendacia linguę,
Et quicquid dicis fingere, quicquid agis?
Nonne vides mala quot veniunt tibi crimine ab iſto?
Quot pateris laruas, dedecoriſq; notas?
Sæpius inſigniſq; atrox iniuria verbis
Infertur, quam non diluere ipſe potes.
Percuteriſq; graui ferro bis, terq;, quaterq;,
Brachio & in facie, pectore, crure, manu.
Et tu degeneri prognatus ſanguine, turpem
Contra nil auſus præripis vſq; fugam.
Et cur ſic facias rationem ſaucius edis,
Fomenta vt plagis verberibuſq; loces.
Non temere affirmant proauos præpucia Moſis
Legiferi ex monitu diſſecuiſſe tuos.
Sed tibi cauſa mali ſinueſſa, fauentia, iadra,
Vrit, ſuſpendit, tertia præcipitat.
Ex tu corde doles, magis ingeminaſq; querelas,
Quod non ex cauſa præcipiteris inops.
Cur non ex cauſa, ſi fraudes texis opertas?
Si mendax nugas inſinuaſq; nouas?
Sed iuras diuos tractaſſe negocia, falſo.
Nam Cęlo nullos credis ineſſe Deos.

Ad Petrum Paulum Manfronum præfectum equitum Reip. Venetę.

FLamen eras Flaui iuuenum doctiſſime Phœbi,
Theſpiadeſq; tuo corde habitare deę.

Delium & Aonidas Mars & Bellona fatigant.
Vt dent,allecti viribus,atq; animis,
Scilicet hic perhibent noſtris ſudabit in armis,
In patriaſq; feret multa trophęa domos.
Indulſit Phœbus,doctę indulſere ſorores,
Hac lege,vt ſecum haud ſemper habere velint.
Dat galeam Bellona ferox,Thoraca gradiuus,
Illa haſtam ingentem tradit,& hic gladium.
Belli artes cęſim.q; docent punctimq; ferire,
Vincere quaq; hoſtem ſedulitate queas.
Pugnandi gnaro Venetas mox credere Turmas,
Et ſic aligeri caſtra Leonis habes.
Auſpicijs Marci quæ non inuicta ſecundis
Vinces Regna alacer,hoſtica & arma premes?
Auſpicijs Marci quæ tam gens effera,quæ non
Se dedet? veniet ſub tua iuſſa Cilix.
Et Turca eoo & Maurus Rgnator in orbe
Auſtrali Venetum ſigna verenda colent.
Attamen in bellis phębea volumina verſas,
Felici & genio ſcribis,& ingenio.
Pace vales,motuq; idem Mauortis,& idem
Belligeraq; manu conſilioq; potes.
Res mira eſt,noſtroq; æuo non cognita forſan,
Vnum militias excoluiſſe duas.
Hinc te petre colo bellator ſtrenue,& inde
Docte tuum miror laudoq; Paule Sophos.

Ad Clementem.vij.Pont.Max.

QVm te ſeruarit Clemens morboq; leuarit
Iuppiter,excelſo iuuerit atq; Throno.

Non iuuet in placidum poſthac pugnare tonantem,
Dura nec in iuſtos bella mouere deos.
Tunc tunc bella geris, qum Auguſti grandibus orſis
Obſtas, qui ſanctam protegit vſq; fidem.
Chriſtigenumq́; animas terraq; mariq; tuetur,
Turcaica a latijs finibus arma fugans.
Tunc tunc bella geris, qum claſſem ſegnis heoam
Nare ſinis, nec te funera mille mouent.
En deflagrantem flammis hoſtilibus vrbem
Anxuris, atq; aliam quæ prope verſa iacet?
Te cui Rex Cœli Chriſtus conceſſit habenas
Orbis, in Arſaciden promptius ire decet.
Te te Sancte parens manet hæc victoria, miles
Theutonus atq; Italus iam tua ſigna vocant.

In Quendam.

SI facies alapa eſt duris contuſaq; pugnis,
Iure animi fatua ruſticitate meres.
Iure meres verbis te dignis vſus, Aſellus
Quis magis eſt plagas q̃ tolerare grauest
Sed q; pene fuit præcluſus ſpiritus, atq;
Stricto animæ digitis gutture clauſa via eſt.
Sed q; calce femur magno ſæpe impete ſæpe
Pulſatur, ramex naſcitur vnde tibi.
Sed q; Barba pilis lende oppleta expoliatur,
Acre gemis, magis aſt ingemuiſſe ferunt.
Turpe caput quatitur, decies q; calceo adacto,
Fortiter & crebro ſubere percutitur.
Non fuit indignum, ſi vis expendere viles
Belua natales pellibus impetier.

Si patris attritos fuit ars ſarcire cothurnos,
Quis in meſſe uti ruſticus ipſe ſolet.
Bis nanque ille perit proprijs qui occiditur armis
Ingemis, at qui te talia in arma decent.
Quid fles? quippe nouum non eſt tua verbere membra
Cędi teſtis adeſt parthenopea grauis.
Et tuus hic ſocius quem pergis amare, cruentum
Reddidit os, dentes comminuitque tuos.

Ad Nicolaum pium Virum patricium.

ANtonini aiunt diui de ſanguine clarum
Eſſe tibi imperio diuitijſque genus.
Ille pius, pius ipſe etiam cognomine, & actis,
Omnibus atque pijs es magis ipſe pius.
Et quid principibus magnis eſt dignius, alma
Æquare ęthereos quam pietate deos?
Præcipue Ænean pietas commendat, & illum,
Qui campis generum vicat in emathijs.
Romuleę & quid habent Ænea & Cęſare chartę
Maius? ſi modo vis dicere vera, nihil.

Ad Hieronymum ferrarium
Iuriſconſultum.

FErrari o charam poſtquam redięmus ad vrbem,
Te ſine noſtro animo non erit vlla quies.
Vſque adeo mea Sanctus Amor præcordia vinxit,
Eſſe equidem vt tecum nocte dieque velim.
Per Chriſti oro igitur præſentia numina, ſaltem
Ad noſtras veniat crebra tabella manus.

Ad Nicolaum pium virũ patricium.

O Qui Naturæ ingenio ſecreta ſagaci
Scrutaris, Sophiæ cunctaq; operta patent.
Da mihi quod Iani poſſim portare Calendis
Iano, dogmatibus Corq; leuare pijs.
Sic ſemper parili affectu rariſſima Coniux
Triſſina agat longos tecum Iſabella dies.
Sic viuat felix Antonius auctus honore
Filius, antiquos laudeq; vincat auos.
Sic velut Aſtrologus prædixit Gauricus, alter
Filius aſcendat culmina Cardinea.

Ad Proſperum publicolam
Romanum.

QVid mihi cũ Phębo & Muſis nũc cãdide Proſper
Si leges alio, ſacraq; iura vocant.
Nil commune tenent durę cum carmine lites
Molliculò, teneris iurgia cũq; modis.
Cauſidicus numeros non curat, ludicra forſan
Iſta grauem credit non decuiſſe virum.
Sunt diuerſa quidem, pariunt faſtidia leges,
Plena voluptatis carmina, plena ioci.
Nonne monet Cęſar peragi bene Codice neutrum,
Si geminis rebus quiſq; vacare cupit.
Non opus eſt igitur me hortari, & ſæpe monere
Vt cantu diuas concelebrem Aonidas.
Sufficere ipſe vales, cui felix mentis acumen
Natura ingenium grandeq; larga dedit.

In Quendam.

QVid quereris lupiæ ꝙ tanti,ac bellica Pſychro
Cauſa mali?innata proditione meres.

Ad Franciſcum Spoletinum auunculũ.

QVid iuuat in veneris nũmos deperdere ludo
Franciſce,& longas diſpoſuiſſe moras?
Talia Auuncule non cenſus,non grandior ætas
Poſtulat,atq; hæc tot tempora plena malis.
Aſpice quot pueris tibi ſint alimenta diurna
Danda,pios natos ſpernere nonne pudet?
Magni animi vir linque nepotibus iſta ſupinis,
Siſq; tui generis ſis decoriſq; memor.
Conſulito patrię,nanq; hęc prouincia tantum
Ingenium certe conſiliumq; decet.
Hac iuere via Paulus,Marcellus,vterq;
Scipiades,Brutus,Fabritiuſq; Cato.
Quorum tu a puero ſequeris veſtigia,necnon
Alto maiores ſanguine conſpicui.

Ad R. Antonium Spoletinum decanum Vmbriat. Auunculum.

PLus tibi ꝙ charo fateor bone Auuncule patri
Debeo, ꝙ matri forſitan atq; pię.
A puero pietate foues,alimentaq; præſtas,
Et ſanctos mores litteruloſq; doces.
Quin etiam cerebro donaſti munere adultum,
Atq; Agamemnonia fungeris ipſe vice.

*Q*umq́ mihi inſidias manifeſtis tenderet auſis
Hoſtis, iudicio & ſiſteret ambiguo.
Tu fers ſemper opem ſtudijs vigilantibus, ære,
Cederet vt gemitu turba inimica foro.
Mox patauí magnis miſiſti ſumptibus vrbem,
Hic vbi te felix auxiliante moror.
Nam quodcúq́ neceſſe mihi eſt tu ſuffícis, vltro
Dimidiumq́ mei fers genitoris onus.
Quicquid ero acceptum referam tibi auunculè, tantum
Virtutem extollam tempus in omne tuam.

Ad Nicolaum Caſoperum Fratrem.

NOn poſſunt noſtræ tantum præſtare Camęnę,
Ingenij quantum pro bonitate meres.
Verſiculis optas frater dulciſſime noſtris
Dicier, & dignus carmine carmen amas.
Non ego ſum tanti Sanctos extollere mores,
Quis Chriſto tantum Chriſtiparæq́ places.
Vt tibi crediderint myſteria, & abdita ſacra,
Et diuinorum curam habuiſſe datum eſt.
Cuncta voluptatum a puero oblectamina corde
Spreuiſti inuicto, ſemen & omne mali.
Vile putans homine atq́ indignum hæc infima terrę
Curare, ęthereis anteq́ ferre bonis.
Quippe Aſini immundiq́ ſues animantia muta
Hæc faciunt, ſtudijs continuiſq́ petunt.
Quis non conceſſa eſt æthernæ particula aurę,
Sed penitus ſolo ex corpore tota cadunt.

At nos a Iouis Altitonantis origine pura
Mens animat, Cęli participeſq; facit.
O vtinam poſſem digno te ſcribere Cantu
Nicolee, & laudes concelebrare tuas.
Si cupis amplecti, cupio amplexarier ipſe,
Pendere e collo ſtrictius atq; tuo.
O vtinam poſſem frater chariſſime votis
Reſpondere tuis, non quoq; deeſſe meis.
Tunc equidem nemo nobis felicior eſſet.
Sed dum me pataui pinguia rura tenent.
Sis memor o noſtri, chariſq; parentibus æquus
Atq; tuam atq; meam reddere perge vicem.
Poſt Deum & hos adama, totoq; amplectere corde,
Fac precor his nullo tempore deeſſe velis.
Communeſq; domi fratres defende, foriſq;,
Et totum tandem fac tueare domum.

Ad Margaritam Spoletinam Matrem.

QVid tantū abſentem cupis o chariſſima natum
Mater? & incaſſum nocte dieq; gemis?
Parce precor lachrymis, hæc omina triſtia multum
Corda mouent, animum diſcruciantq; meum.
Sæpius audiui, patrijs nuperq; tabellis
Admoneor, ceu nos anxia, feſſa voces.
Per ſanctæ manes Matris, ſanctæq; Sororis,
Perq; tui exoro deſine flere patris.
Quin humiles diffunde preces, pia concipe vota,
Vt ſine eant ſtudij tempora nube mei.

Chriſtiparamq́ꝫ roga, nati numenq́ꝫ benigni,
Qui Cœlos, Terram, Tartara & atra regit.
Vt mea fortunet ſucceſſu cępta ſecundo,
Longius hoſtiles pellat & inſidias.
Neſcio quid noſtris conatibus inuidet, auſa
Thiſiphoneq́ꝫ atrox ſiſtere noſtra parat.
Anxietas nati ſi te mouet o bona mater,
Diuum propitiam prona rogabis opem.
Vt furias abigant noſtro de pectore, mentem.
Tranquillam reddant, compoſitumq́ꝫ animum.
Reſtituantq́ꝫ ſacris q̃primum legibus, & tunc
Diuitias regum poſthabuiſſe queam.
Sic caſti ſemper Thalami conſorte fruaris,
Sis noſtro & nunq̃ diſſociata patre.
Sic & Nicoleum deceat venerarier, atq́ꝫ
Fratrum nulla vnq̃ cernere fata queas.
Sic & chara pari ſit filia nupta marito
Grandior, atq́ꝫ itidem filia parua pari.
Sic dulcem in patriam redeuntem Theſea honore
Auctum præcipuo conſpiciaſq́ꝫ tuum.

Ad Agamemnonem Caſoperum Patrem.

NEu tantum nobis genitor precor optime ſuda,
Neu tantum vigila, pectora ſolue metu.
Præcipuam aſt impende domi curam, atq́ꝫ laborem,
Quot te circũſtant filioliq́; vide.
En agit integros Aurelia nubilis annos,
Quæ deceat dotem forſitan atq́ꝫ petit.

Præferri doleo cunctis, nec noſtra voluntas
Fratribus eſt certe ponier ante meis.
Quos amo plusq́ oculos, & plusq́ munera vitæ,
Et ſi quid vita charius eſſe poteſt.
Ergo chare pater ſi non offendere natum
Theſea vis, æqua pendere lance velis.
Nanq; tuus ſanguis ſumus omnes, nec magis vno
Alter habet, cauſa eſt nec meliorq; mea.
Hic mihi præterea eſt Chriſto auſpice viuere honeſte
Vnde queam, patris ſum nec egenus opis.

Ad Chriſtum Dominum Sancta die Crucis.

HÆc eſt illa dies, qua mille opprobria ſoter
Multaq; plagarum millia perpeteris.
Hæc eſt illa dies, qua corpore ſaucius ægro
Heu ſcelus, heu pietas ligna tremenda geris.
Hæc eſt illa dies, qua pendes nudus, acerba
Et ſancta extendis brachia Chriſte Cruce.
Hæc eſt illa dies, qua cuncta nocentia paſſus
Noſtra ſalutifera dum mala pellis ope.
Hæc eſt illa dies, qua mortem vincis auaram
Et victam damnas Carcere perpetuo.
Hæc eſt illa dies, qua ęthernę munera vitę
Donaſti, a ſtygijs aſſeris & tenebris.
O pietas immenſa, hominum Regemq; deumq;
Seruum vt ſeruaret non piguiſſe mori.
Iſta meam ſubeunt quoties meditamina mentem,
Opto ęrumnoſam tollere Chriſte Crucem.

Teq; patrem dominumq; ſequi, fuſoq; cruore
Aſſertori animę ſoluere dona pio.
Iuſtius & quid nam eſt q̄ quod pater alme creaſti
Abſtrahis ac orci faucibus, accipere?
Scilicet ęthernę parua hæc eſt portio mentis,
Teq; graui procul a corpore laſſa cupit.
Tu requies tantis es ſola laboribus, vnum
Solamen, lachrymę cętera ſuntq; dolor.
Non aditus datur in mũdi penetralia Cęli
Per niſi te, mortis te ſine pœna manet.
Pœna manet mortis, ſæclo victura perenni,
Peior & eſt mortis perpete morte locus.
Quicquid in hoc ſęclo totum eſt mortale, caducum,
In finem præceps exitiumq; ruit.
Tu ſolus potis es vitam indulgere, ſequetur
Quam non triſte aliquid, luctificumq; nocens.
Dignare ergo animam cęlo, dignare miſellam,
Si tua particula eſt teq; amat, atq; cupit.
Per tormenta precor, per amari poculum aceti
Quod tibi Chriſte hodie liuida turba dedit.

FINIS.

Impreſſit Venetijs Bernardinus De Vitalibus
Venetus Anno Dñi M. D. XXXV.
Menſe Auguſto Regnãte Inclyto
Principe Andrea Gritti.

Errata incuria impreſſoꝝ ſic ſunt corrigenda.

Equis ęquis char,6,afronte verſu,3,retro tetro 6 ater,25,comunnia communia 7 ater,23, lumaris lunaris 9 ater,8,Nericius Neruius,11, afr,24, Spelnucas Speluncas 11,ater,24, ęs es 12 ater,27, Ne quicq̄ Nequicq̄ 14 ater,29,cumulatio cumulatius 16 ater,5,fuerim fuerit 17 ater,29,degere degeret 18 afr, 17,aremq; larēq; 21 ater,20 tuarūq; tuaꝝ 23 ater,30 tegiſſe tetigiſſe 24 ater,28 In alpini Inalpini 29 ater, 15 lętu cętu 36 afr, 2, ſin ſint 37,ater,30, quiſquis quisq̄ 38 afr, 25, eſſetgteq; effęteq;,39,afr,28,profeſto profecto 40 afr,7 te re 40 afr, 20 parce pace 41 afr,2,Nec Hęc 41 ater,5,properante properanter 42 afr,12 Vecnor Necnon ſit ſit 46 afr,16 cęſi cęci 50 afr,18 ſol es ſoles 51 ater,21 Rhamnuſcia Rhamnuſia 55 ater,7 proprius propius 57 afr,11 aut haud 58 ater,3 Auida Arida 58 ater,26 ob ortis obortis 59 afr,9 fęmina fęminea 62 ater,12 faſidicos falſidicos 63 afr,9 inuenimus in uenimus 68 afr,3,Atq; Aq; 73 afr,25 amante amantq; 73 ater,24 mollē molem 75 afr,3 parte parta 75 afr,10 nora mora 76 ater,12 bonore honorę 77 ater, 1 Menelęam Menelaeam,77, ater,30,parentes parente es 80 ater,3 tua tu 81 afr,23 reus reum 82, afr,18 per te totam per totā 82, afr,27 putis potes 83 afr,1 artes artis 83 afr,21 ferdinādo fernādo 83 afr,25 quęrentis querentis 83 ater, 28 eris heris 88 afr,18 qui es quies 89 afr,24,At Atq; 91 afr,5 errato erato 92 afr,7 accipe quę quęſo accipe quęſo 92 ater,10,bac hanc 93 ater,5 liquoribus litoribus 94 ater,16 exilium auxiliū 95 afr,26, Quē Qum 96 ater,25 propoſcit popoſcit 97 afr,1 laxant laſſant 98, ater,17 funeres funere 101 ater,1,Aloida Aloidas 101 ater,7 turbida turba 101 ater,22 Suggeſſerat Suggerat 102,afr, 12, Māq; Nāq;,103 afr,6 phariſienſem pharienſem 103 afr, requieſcet quieſcet 106 afr, 25,Non Num 108 afr,1 Appella Apella 108 afr,7 fis ſis 110 afr,11,cerebro crebro 113 ater,21,

Nōnulla alia leuiora,minimeq; curāda omiſſa ſunt, quippe quę lectorē ipm nō remorabuntur,